
M. A. L

17. 13.












5828/A

22-

A. XLIV

17/5

52 (Anl. Off.)



DE FORMANDIS MEDICINÆ STUDIIS ET SCHOLA MEDICA CONSTITUENDA

ENCHYRIDION SELECTVM.

QUO CLARISSIMORUM ALIQUOT PHILOSOPHORUM ET Medicorum, Hier. Mercurialis, Jacobi Sylvij, Honor. Castellani, Placotomi & Alberti VVimpinæi Methodi & Epigraphæ continentur.

E SCHENCKIANA BIBLIOTHECA eruit & conjunxit

JOAN. GEORG. SCHENCKIVS à Grafenberg Philiater

HAGENAVIENSIS Poliater.





ARGENTORATI,
Excudebat CONRADVS SCHE[R]

M. DC. VII.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ILLVSTRISSIMÆ

PRINCIPI AC DOMINÆ DOMINÆ

ANNÆ CATHARINÆ

DUCISSÆ

AVGVSTISSIMÆ:

SERENISSIMI ILLVSTRISSIMI ATQ. PRINCIPIS,

FERDINANDI, ARCHIDVCIS AUSTRIÆ. &c.

SACRATISSIMAE: MEMORIÆ

CONIUGI VIDUÆ:

HEROINÆ

OMNI VIRTVTVM PIETATISQUE GENERE CULTISSIMÆ ORNATISS:

IOAN. GEORG. SCHENCKIVS

A GRAFENBERG, MEDICUS, CLIENS

D. D. D.

AD EANDEM MEA PRÆSCRIPTIO.



Um Sapientißimus HE-
ROS, *Divus* FERDI-
NANDUS *Austriacus*,
Sacratiß. memoriæ, IL-
LUSTRISSIMÆ CEL-
SITUDINIS TUÆ (HEROINA
INCLITA) *Coniunx Maritus Illustris-
simus, circa annum* CHRISTI ∞ IↃ
LXXV. *Archiducalis Catholicæ & Illu-
stris* ACADEMIÆ FRIBURGENSIS
Brisiaci Montis, ab ALBERTO *Au-
striaco exædificatæ, publicam solemni au-
ctoritate* RECOGNITIONEM *susce-
pturus esset; & post singularum Faculta-
tum Classes*, SACRÆ MEDICINÆ
*instaurationem perinde institueret: ad id
officij & muneris Clarißimum Parentem
meum, mihi cum natura tum virtute a-
mantißimum*, JOANNEM SCHEN-
CKIUM, *Friburgensium extra Acade-
miam Medicum, paucis nunc etiam ab-
hinc annis sanctè intermortuum, evoca-
vit & elegit. Qui; ut* VIR *erat ad fa-*

ciendam

ciendam propagandamq; Medicinam natus factus, cujus nempe severßima & pertinacia Rei medicæ studia Dives BIBLIOTHECA *tot annis tot sumtibus coacervata, Et vel unicum immensi laboris* OBSERVATIONUM OPUS, *item* PANDECTARUM VOLUMEN *medicum loquitur: atq; hoc ipsum de Illo ipso Nobilißimi quiq; Europæ Medici Amici testantur, qui illum Heluonem librorum, honestißimo arbitror titulo, & cum paucis communi, aliquando cognominarunt. Is inquam, quod studia sua perpetuò cum utilitate publica conjuncta cuperet, hanc provinciam ingressus, præter id quod scriptis sententiam suam attulit gravißimam, privatim etiam ad fine argumentum conscribere cœpit, adeoq; seligere* DE FORMANDIS MEDICINÆ STUDIIS & SCHOLA MEDICA *constituenda*, EPIGRAPHEN: *cui Clarißimorum Medicorum de eodem argumento sparsim exstantes et manuscr. libellos conjunxit.*

Arbitror autem in Tot Rei Medicæ Lautis DIVITIIS, *quib. omnia Artis*

illustrißimæ & nobilißimæ Membra exculta, propagata, retractatius interpolata, quasiq; ad nauseam recocta exstant, vix ullum desiderari vel magis necessariũ argumentum, vel rarum magis atq; invisum, quam sit hoc Ipsum. Et cum sit Rei Medicæ HORTUS, tot pomariys, lectis coronariys, vinetis florentißimus, adeoq; ad miraculum usq; excultus: Unũ porro in tanta abundantia, qua Ars Medica tota Hydrops est prægnans, tota in toto, & in qualibet parte tota inclarescit, necessarium visum est, COMMODUM ITINER HORTI MEDICI sternere. Tametsi enim pulchrum est Artis Medicæ Thessala Tempe, & ÆSCULAPI HORTUM, Theoricè & Practicè, omnibus numeris absolutum; Si CLAVEM ignores, si Introitus Vestigia nescias, titubanti pede incertus oberrabis, & metus est, ne temerè fracta sepe, alieno loco quæsito ingressus, improvidè cuncta nullo discrimine facto neq; Judicij calculo adhibito, rusticè obambules, atq; inde evidenti utilitate usu fructuq; tam nobilissimi VIRIDARII priveris. Ut exem-

plis rem

plis rem comprobemus; Si quis Artis Medicæ Tyro, priusquã eam Medicinæ partẽ, quæ φυσιολογικὴ inscribitur, attigerit, præpostero Ordine statim ad Παθολογικὴ vel ὑγιεινικὴν abripiatur, certo errore impenetrabilem lapidem penetrare conabitur. In Παθολογίᾳ enim, qui ex intemperie vel humoribus morbi proveniunt, vix rectè cognoscet, nisi prius ex φυσιολογίᾳ humorũ doctrinam præbiberit. Ita, qui medicamentorũ fabricã tentabit, priusquã Morbum, Caussam, σύμπτωμα intellexerit, perinde successu frustrabitur. Acri post hæc Judicio opus est circa authores lectitandos, ne vulgares Classicis & probatis commentaria Canonicis regulis anteponentes, pro dactylis & amygdalis suavissimis, olentibus cœpis & alliis vel ingrato absynthio saturemur: Unde, etsi Nobilia Ingenia tricis istis veluti coscutæ herbæ filis implicita, magna sæpe cum jactura detinentur: Quæ pro exemplis manifestioribus sufficiant.

Hanc itaq; VIAM REGIAM, tam necessariam, Artis nempe ineundæ Tyrocinia Parens meus, Philiatris gratificaturus eo tempore è Penu Bibliothecæ

suæ locupletißimæ sparsim disiecta eruit &
concorporavit: Adeoq; Illustrißimo AR-
CHIDUCI, FERDINANDO, *Illu-*
strißimæ Celsit: T. Marito, Conjugi pien-
tißimæ memoriæ per dedicationẽ dicando
consecrârat. Quæ ego Filius pro debita in
Paternos Cineres memoria, è multis seli-
gens per occasionem hanc Luci publicæ in-
didi: Quibus propediem alia atq; alia,
præsertim BIBLIA *nostra* IATRICA,
Opus peræquè necessarium, nempe Indicẽ
locupletißimum, in omnes omnium ætatũ
REI MEDICÆ *Scriptores Græcos,*
Latinos Priscos, Arabes. Barbaros & re-
centiores adjungemus. Et sicuti ex ist-
hoc præsenti libello, philiater Tyro, Artis
Medicæ ineundæ FUNDAMENTA
& BASES *cognoscet; Ita ex illo opere ar-*
tis ejusdem præcipuos AUCTORES *pri-*
mariosq; DUCES *quibusvis in argumẽ-*
tis eluentes, magno privatorum suorum
studiorum compendio sequendos intelliget.
Isthanc verò OPELLAM, *Illustrißima*
HEROINA, *per mortem* MECOENA-
TIS *electi, nempe Illustrißimi* FERDI-
NANDI *&c. Celsit. T. Conjugis Mari-*
ti, præ

ti, præ aliȷs Celſit. T. meritiſsimò deberi Jure optimo ſum arbitratus, partim ut paterno inſtituto memoria poſthuma facerẽ ſatis; partim ut Celſit: T. propenſionem Clem: in Clar: Fratrẽ meum, JOHAN. *Conradum* SCHENCKIVM, *Celſit. T. Medicum proprium, literaria ſignificatione teſtarer. Quam meam Nuncupationem obſervantiſsimo animo ſuſceptam, uti Illuſtriſsima Celſit. Tua, fronte ſerena acceptare dignetur, meq; meaq; ſtudia commendatiſsima habeat, majorem in modum oro atq; obſecro.* DEVS *Ter Maximus, Summus animorum* MEDICVS *Celſit. Tuam in multos annos ſuperſtitem florentemq; ſervet. Scribebantur* HAGENOA, *Imper I Opido & Camera.* 18. *Cal. Octob. AN:* ∞ IↃC *VI.*

ILLVSTRISSIMÆ
CELSIT: T. CLIENS

IOAN. GEORG. SCHENCKIVS à Grafenberg, Philiater,

Hagenavienſis Poliater.

AD LECTOREM PHILIATRVM.

Qvàm ſtudiū MEDICUM docto mediante Cothurno
Emicat, & radios demptis conjungit in altos
Nubibus, & ſummo ſplendentia vertice pulſat
Sydera! non noctes, SOLEM mihi dixeris unum.
Hippocratis cineres ſiquis, vel fortè Galeni
Manes pallenti ſacros revocaret ab Vrna,
An non frondenti vincirent tempora lauro
Mox Medicis noſtris? an non ſua dogmata primùm
Iatrica cenſerent caſsis obducta tenebris,
Tempore nunc tandem magè ſplendidiora parata.
Hoc noſtro Grates, quæ non præconia laudis
Diceret Hippocrates, cum tot conatibus auctos
Conſpiceret Medicos, quos ſcripſerat antè, libellos?
Siq; modis varijs Medicas reperiret ab ævo
Temporis hoc noſtri res mactas arte Galenus?
Quid multis? latuiſſe illos, quæ clarior ætas
Lumina donaſſet, faterentur, ſi q; relictas
Proriperent volucri paſſu mox Mortis ad ædes.
Nec aliter. Pertingit culmina ſumma MEDENDI
ARS, ut vix poſthac Medico locus ullus in ullo
Conſiſtat, multis qui non tractatus ad unguem.
Quæ non Geſnerus, Montanus, Scaliger ingens,
Quæ non Matthiolus, Cardanus, Cordus, & ille
Veſalius, Crato tractarunt? Omnia ſumma
Arte ia, quam primus Medicinæ cultor in annis
Ambulet, exiguis tractata eſt viribus, una
In reliquis neglecta diu. Quo ſcilicet ARTIS
Ordine, qua Methodo Medicum Studioſus anhelans
Ad ſtudium placidam poſsit contingere metam:
Id latuit multos. Hinc non incommoda rara.

Nam

Nam bovibus quicunq́ suis præponit aratrum,
Huic segetes steriles; Medica quicunq́ ramana
Dans operam si præfert inscius ultima primis,
Non aliter studium, tempus vel perderet omne.
Hanc tu iacturam sensisti MERCURIALIS,
Hanc SYLVI *præstans, hanc* CASTELLANE *laboras*
Tollere, dum certam methodum præscribere quondam
Tentares, doctum quam luci tradere gessit
SCHENCKIVS, *excultam, multisq́ recentius auctam.*
Hoc igitur Libro fusam dat SCHENCKIVS *artem,*
Quâ tutò possint poni fundamina; primò
Quæ volvenda sient; medium quæ postulet; & quæ
Ad finem atq́ scopum perducant Ordine claro.
Ne posthac operam ludat Studiosus, & arti
Cum fructu invigilet, quæ tot scriptoribus aucta
Floret in immensum, regali incedere gressu
Quæ potis est, longinquis & dominarier oris.
Impiger hinc Lector, MEDICINÆ *qui inchoat artem,*
Omnibus his grates solvet, qui sternere certam
Curavêre viam, pateant quâ Iatrica Tempe.

Joan. Andreas Schenckius
SCH. Senioris F.

Iatrices Studiosus, F.

ELENCHVS

EORUM QUÆ HOC OPUSculo continentur.

HIER. MERCURIALIS *philosophi ac medici præstantissimi Epigraphe de ratione discendi medicinam, ex Authoris Lectionibus, quas Patavij Anno 70. magna auditorum frequentia sustinuit excepta, & nunc recens publicata.*

HONORATI CASTELLANI *Oratio Lutetiæ habita, qua, futuro medico necessaria explicantur.*

Oratio de ratione discendi, ac præcipuè medicinam, scripta per JOAN. PLACODOMUM *Doctorem medicinæ.*

Ordo & Ordinis ratio in legendis Hippocratis & Galeni libris, per JACOB. SYLVIUM *Medicum.*

PETRI MEMII *Herendalij Doctoris Medici, de Academiarum officijs institutisq; hypothesis: qua ostenditur, quales medicinæ Professores esse opporteat.*



IOAN.

JOAN. SCHENCKIVS, MEDICUS,

JOAN. CONRADO, ET IOAN. CHRISTOPHORO, Schenckiis, Filiis suis, S. P.



INgens Dei donũ medicina est, Filij Charissimi, At illud nõ minus arduum atq; admirandum, quod senescente istoc mundo, Deus Opt. Max. divinam hanc artem, quâ vita hominis continetur, fœdo cœno, adeoq; cœcis barbariei tenebris, suprà sexingentos annos immersam, & conspurcatam: intrà tam paucos, qui vix dum octoginta æquare possent, adeò doctissimorum sæculi nostri Virorum opera perpurgârit, illustraverit, extenderitq;: ut jam quasi renata, restituta, atq; per omnes sui partes absoluta: cum antiquitate ipsa, de elegantia & genuino nitore suo, justissimo merito certare queat. Cujus partes & locos omnes cum egregiè excultos habeamus: nemo ferè in tanta eruditorum medicorum fœcunditate repertus est, qui studij medici formãdi rationem aliquam brevem & perspicuam: artis hujus tyronibus, convenientem proponere voluerit.

Vnus MERCURIALIS ætatis nostræ medicus absolutissimus, argumentum

hoc, diutius à philiatris desiderari haud passus est. Qui, quo ad medica studia provehenda, animo affectuque natus factus est: Anno Septuagesimo, expetentibus anxiè discipulis quibusdam suis, Patavij, viam hanc cognoscendi medicinam, de publico aperuit, & dictavit. Cujus exemplum dum nuper fortè inter rudera Bibliothecæ meæ depræhensum occurrisset: à Cl. V. D. D. PETRO QUENTIO Patritio & Archiatro Friburgi Helvetiorũ, amanuensi olim meo, recens ex Italia tum reduce, & ex autoris ore exceptum mihiq; communicatum accepissem: Studiorum vestrorum cursu excitatus, eundem in usum vestrum, adeoq; bonis omnium artis medicæ Tyronũ rebus, publicare volui. Quanquam autem arduæ huic disciplinę, philosophicis etiamnum studijs occupatos vos, mi filij, minimè in totũ adolevisse certum habeam: nec dum eousq; maturuisse comperiam: ut post positis illis, nondum satis instructi, recta medicinæ sacraria aggredi vos velim. Nihilo tamen minus, ex re cum vestrum, tum omnium medicinæ candidatorum esse putavi: Si hisce perfunctoriè & velut per transennam inspectis, cognitisque, institutum artium cursum vestrum, ad hæc sensim & conjunctim, veluti ad scopum quendam collimando, de cetero rectius promtiusque referre atque dirigere, non levi studiorum vestrorum compendio atq; usu possetis.

Te ve-

Te verò Christophore, & si primario S.S. Theologiæ studijs devoverim. Peræque tamen sacri si vis horis, medica cum Theologicis conjũgere, eo consilio & fine, te velim: non ut hanc artem in alijs exerceas, nisi paucissimis quibusdam, & familiarissimis tibi atque Chariss. Verum, ut utraq; medicina animi nimirum & corporis, instructus: tibi ipsi potissimum consulere, adeoque jatrotheologica conjungere possis. Sicque contemplatione verius, quam actione, seriam illam de rebus sacris meditationem, jocundiore alia, & verò plurimum ob nativam corporis tui imbecillitatem profutura sæpe: Lectione usuque interdum temperare atque condîre tibi liceat: ne familiæ nostræ Asclepiadeæ nomen in te uno defecisse videri quæat. Idem studium apud fratres tuos juniores, etiam me vita functo, te promoturum confido: Si ut paternæ hæreditatis, qualiscunque tandem illius, ita & Medicinæ possessionem, pari affectu prosequi non destiteris: geniumque meum pio & constanti animo, etiam in illis suscitare alere atque urgere perrexeris. At medica non sine exemplo sociabis theologicis: Extant enim per erudita & jocunda simul, Clariss. ætatis nostræ Virorum Vallesij, nimirum, Lemnij, & aliorum similia scripta, in quibus autorum pietas Virtus, & industria, æternabunt.

Ad

Ad Mercurialem noſtrum revertimur. Quem, tantum abeſt ut publicationem hãc noſtram ægrè laturum confidamus: quin potius, pari æquanimitate & benevolentia ſimili, quâ reliqua ſua ſcripta, eruditiſſimorum quorundam ſtudio in publicum prodire paſſus eſt, acceptaturum ſperemus. Eſto, non ſint ad editionem ſcripta iſthæc: deſideretur alicubi à curioſis quibuſdam autoris manus ultima. Quid tum? Ea ipſa nos talia malumus, quam à quovis diſertiſſima interpolata. Studio certè ſingulari, Autor ſe ad diſcipulorum quorundam captum demiſit & accõmodavit: ut non tam perſpicua brevitate, quam grata facilitate, tyronibus artis ſerviret. Quod ſi Leonem ex unguibus æſtimare conſilium eſt, ejuſdem Gymnaſticum, aliaq; adeas, & abunde tibi ſatis fiet. Extant Auguſtiſſ. De Medicina & Medico Dialogi Magni illius Iulij Alexandrini Cæſarei Archiatri: quos non ſine fructu, Epigraphæ huic, velut exegeſin quandam eruditam ſanè, eamq́ue juſtam enarrationem, ſubjunges.

Reliquum nunc eſt, filij Chariſſ. ut tria hæc vobis, tum alijs, tum verò inprimis medico neceſſaria, commendem: Religionem, Scientiam & Exercitium. Religio ſapientes reddet, animumq́; à vitijs liberum, & quod ſummum, ad vitam beatam perducet. Scientia, qualis convenit medico omnige-

omnigena, ad cognoſcendos curandosq́ue morbos vos armabit & inſtruet. Exercitium in arte medica perfectos efficiet. Vndè recte dictum ab Hippocrate eſt: quod ſapientia ſcientiaque, cum medicina hæc quoque tum illis miſcetur. Bene valete, & cœptum ſtudiorum curſum, Deo annuente, abſolvere pergite.



HIERO.

HIERONYMI MERCURIALIS PHILOSOPHI ET MEDICI PRÆSTANTISSIMI

DE RATIONE DISCENDI MEDICINAM ΕΠΙΓΡΑΦΗ.

Ordinis atque methodi in tractandis disciplinis necessitas.



Vemadmodum his, qui navigandi professionem, toto vitæ suæ tempore exercendam sibi proponunt, opus est, ut rectam aliquam rationem ineant, quæ quid bonum, quid malum, quidve omninò agendũ sit præscribat: ne in re adeò difficili & periculosa, magno cum salutis tum rerum discrimine fallantur. Sic etiam illis, qui artibus aliquibus, ex liberalium numero, in quorum censu etiam Medicina consistit, cõparandis, ad eoque tum in proprium, tum aliorum usum exercendis, sese devoverunt, summopere contendendum fuerit, ut studiorum suorum normam atque methodum aliquam sequantur: ne vel cæcorũ instar, huc atque

atque illuc impulſi, à fine ſibi propoſito excidant, & in avia deflexi, falſum pro verò, malum pro bono amplexantes, animis ſuis conbibunt, ſicque oleum & operam, non ſine detrimento perdant.

Vt itaque hujuſcemodi ſcopulos facilè evitare poſſitis, cum viam aliquam brevem & compendiariam monſtrari vobis hoc tempore à me petieritis, eam vobis indicare conabor. Cui ſi diligenter inſiſtetis, non vereor, quin facilè concedetur, aut labores veſtros ad optatum finem perducere, aut ſaltem quam minimum diſpendij ſubire.

Id autem præſtabo, tribus illis accuratè explicatis: quæ Hippocrates, Plato, Ariſtoteles & Galenus, in omnibus rebus fœliciter perficiendis, valide requiri debere ſcripſerunt. Naturam nimirum: Studium: Converſationem ſeu conſuetudinem. *Tria ad q̃vis fœliciter tractãda: requiri.*

De Natura dicam quomodo corpore & animo eſſe debeatis: De Studio & Labore pauca eritis docendi: Conſuetudinem verò, quoniam cum duobus habere poteſtis, vivis nimirum & mortuis: Primo quibus vivis & quomodo: Secundo quibus mortuis, quomodo & quando & quantum ſit vobis converſandum, edocebo. *1. De Natura*

Auſpicantis igitur dicimus quod qui MEDICINÆ ſtudijs operam navare con- *Natura corporis.*

Natura corporis. re contendunt: Corpore vegeto & ſano, atq; ætate puerili juvenilive eſſe debent. Nam cum nihil laude dignum ſine continuis laboribus, ut cecinit Heſiodus.

Virtutem poſuere Dij ſudore parandam comparari queat: Laborare verò nemo poſſit niſi ſano atque valido ſit corpore: proptereà ante cætera hæc corporis conditio neceſſaria eſt. Vt non immerito interrogatus Philoſophus quidam, quid in vita πρότερον quid δεύτερον eſſet, ſemper reſponderit τὸ ὑγιαίνειν, Sanitas verò, quamvis ut plurimũ ab ortu omnes ſuã conſequuntur, tamen ferè in manu cujuſque poſitum eſt, ut quam habet tueatur, vel deſtruat, quam non habet, magna ex parte ſibi nanciſcatur. Videlicet moderatis exercitationibus & ſobrietate vitæ, quibus pravas à natura corporis intemperies corrigi, ſanitatemque & robur acquiri non ſemel nos Plato in Charmide & Galenus ſecundo de tuenda valetudine & quarto, nec non libro de cibis boni & mali ſucci monuerunt.

Natura animi. Animus certè unicuiq; à natura donatur, videlicet ut ſit ingenio perſpicaci, ac ad intelligendum facili, ut judicij acrimonia polleat, ut memoria valeat. Quæ omnia ſanè ſtudijs medicinæ operam daturo conveniunt. Veruntamen ad animum, ingenium atque memoriam conſequendam, ferè etiã induſtria noſtra atque ſtudium ut Hippocrates in

tes in libro de Præceptis innuit, maximopere conferunt. Quoniam ſi & Ariſtotelis & Galeni ſententia, animorum noſtrorum propenſiones ac vires ex temperatura corporis, ita ortum ducere videntur, ut qualis illa ſit, ejuſmodi etiam has eſſe, ferè neceſſarium ſit. Quemadmodum in nobis ſitũ eſt & temperaturas conſervare, corrigere, atque renovare: Si mihi modo non negatur, animos, hoc eſt ingenia, judicia atque memorias, quaſi noſtra manu facere. Neque minimum eſt, quod vobis de ętate adnotavi. Quandoquidem ſi ulla ars inter humanas habetur, quam tempeſtive addiſcere atque exercere oporteat, una profecto eſt medicina. Cui vel mediocriter addiſcendæ, vix totum hominis vitæ curſum ſufficere poſſe prodidit Hippocrates, ne veteres in medium adducam: quos à pueritia ſemper medicæ artis ſtudia atque exercitationem inchoaſſe, Hippocrates, Plato & Ariſtoteles ſignificarunt. Quin & illud ſcire intereſt, non parũ in una quavis arte excellere, referre, ut quis ſeipſum ſuasque propenſiones cognoſcat. Et quò magis natura, animo & ingenio propenſum ſeſe animadverterit, eò ſtudia ſua convertat. Quoniam inficiari nemo poteſt, quin alius legibus, alius medicinæ, alius alijs artibus magis idoneus natus videatur. Hinc Ariſtoteles ſcriptum reliquit, homines libentius ea ſtudia atque artes aggredi, licet

viles, ad

viles, ad quas nati atque apti sunt, quod sperent sese in ijs magis excellere debere, cujus excellentiæ à natura amatores sumus omnes.

In Medica proinde arte adipiscenda, summum fuerit, Galeno libro de Constitut. art. medicæ teste, si toto vitæ tempore, unam veritatem sequi, nulli Sectæ adhærere, in nullius sententiam aut verba jurare, vobis proposueritis.

2 *De Studio.*

Studium porrò & laborem valde etjam requiri, in omni disciplina comparanda, puto vosmetipsos intelligere. Quando legisse potestis Virgilianum illud Labor omnia vincit, Improbus: Nam & Galenus ubique ferè admonet eum, qui in medicina excellere cupit, φιλόπονον, id est laborum amatorem esse debere: Neque ullis vigilijs, ullisve curis esse deterrendum.

3 *De Conversatione.*

Quod tertium superest, & omnium maximè ad studia rectè componenda pertinet, id in conversatione tam vivorum quam mortuorum, hoc est librorum positum est. Quod enim ad vivos spectat, præceptum est Theognidis Poëtæ antiquissimi, à D. Platone in Memnone relatum ϗ μετὰ τοῖσιν πῖνε, καὶ ἔσθιε, ϗ μετὰ τοῖσι ἵζε, ϗ ἄνδανε, τοῖς ὧν μεγάλη δύναμις: ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι. ἢν δὲ κακοῖσι συμμιγῆς ἀπο-

λεῖς

λεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον. Apud eos nimirum bibendum, comedendum, ſedendum, ijſque eſſe obediendum quorum magna eſt virtus. Quoniam ut à bonis bona diſcunt, ſic ſi cum malis conſuetudo habeatur, præſens bonitas amittitur. Quare inprimis ſtudendum eſt, ut optimos præceptores, doctos ac benevolos vobis eligatis, ſimiliter ex amicos, quibuſcum tuto & cum fructu continuam converſationem habere poſſitis. Quunque jam vobis delecti atque probati fuerint: veſtrum erit illos: ſequi, diligere, revereri atque obedire ſemperque aliquid ab illis de ſtudijs veſtris ſciſcitari. Putantes nihil eſſe, quod æquè vobis, ad comparandos bonos habitus, ac veſtra ſtudia confirmanda & locupletanda conferat, atque aſſidua, cum præceptoribus & amicis doctis concertatio.

Converſatio cum vivis hoc eſt doctis & præceptoribus idoneis inſtituenda.

Jam verò intelligatis, qualis vobis eſſe debeat cum libris ipſis converſatio.

Converſatio cum de mortuis hoc eſt libris.

Primo, non quilibet Authores amplectendi ſunt, ſed probatiſſimi, quique permulta ſecula à viris doctis pertriti ſunt. Quoniam ſi ſecus fiat, duo non contemnendi errores committuntur. Vnus eſt quod doctrina neque firma

Probatiſſimi & vetuſtiſſimi Authoris ſtatim ab initio diſcendi.

neque probata primò animis inducatur: Alter, quod id temporis, quæ leguntur authores gregarij & populares, ferè consumitur. Cum præstaret in optimorum lectione jugiter insumere. Qui verò sint ij scriptores à nobis amplectendi facilè scire poteritis, tum ex vetustate, quando rari sunt authores veteres, quorum lectio magnum fructum non adferat, tum ex consensu posteriorum. Qui si aliquos longa temporum serie approbasse atque secutum esse videbuntur, eos non magni non æstimare debebitis. Hos invenio ego partim Latinos, partim Arabas, partim Græcos ut plurimum extitisse. Qui ex latinis Medicinæ scriptoribus lectitari debent, sunt Celsus, Scribonius Largus, Plinius, Quintus Serinus, Cælius Aurelianus, Theodorus Priscianus. Ab hujusmodi nanque omnibus, si prudenter legantur, non parum ornamenti atq; divitiarum laboribus vestris accedere experiemini. Arabum similiter scriptorum lectiones, maximè proderunt, si, ut debent, amplectuntur. Inprimis Avicennas, Averrhors, deinde Rases, Mesues, Serapio sunt: quos qui legunt magnam utilitatem consequuntur. Quandoquidem, etsi stylo ac ordine laudari non mereantur: sunt tamen commendandi à rebus multis atque bonis, quorum Authores nobis extiterunt. Cæterum Græci ij sunt, de quibus id Horatianũ dicere cogor Nocturna versate

Latini Veteres.

Arabes.

Græci.

manu, verſatè diurna. Cum enim ipſi totã hanc artem noſtram, inveniſſe, pronexiſſe, ornaſſe atque locupletaſſe putantur: Apud quos melius, quam apud parentes ipſam quæramus, ac invenire ſperemus non video. Quamobrem Hippocratem, Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, Nicandrum, Dioſcoridem, Caſſium, Areteum, Galenum, Athenæum, Geoponicos omnes & Hippiatros, Oribaſium, Aëtium, Alexandrum, Paulum, & ex recentioribus Actuarium, Damaſcenum cæteris omnibus ante ferre, ſummoque ſtudio ipſorum Commẽtaria pervoluere debetis. Poſt quos ſunt & alij authores præſtantiſſimi, quorum lectio ſi à vobis non negligetur, optimè ſtudijs veſtris conſultum omni tempore experiemini. Atque ij ſunt Homerus, Heſiodus, Lucretius, Vergilius, Horatius, Juvenalis, Martialis, Marcus Cato, Marcus Varro, Columella, Palladius, Vitruvius, Herodotus, Strabo, Pauſanias, Athenæus. Neque miremini quod Poëtas & Hiſtoricos vobis proponam. Quoniam ſi Galenum ducem noſtrum Videatis, ſæpè horum Authorũ teſtimonia citare comperietis. Quod ſciret ex his Medicinæ quoque ſcientiæ, non paucam authoritatem ac lucem adferri. Non putetis tamen, me velle, ut pari ſtudio, cuilibet horum incumbatis. Sed cum præcipuos medicos, veluti Hippocratem,

Poëtæ & Hiſtorici qui namque cur Medicis legendi.

Galenum, Celsum, Avicennam in manibus frequenter habebitis: succisivis, ut ajunt, quibusdam horis, aliquam operam etiam horum lectioni dare poteritis. Id semper meditantes, ut omnia ad medicam disciplinam ornandam ac ditandam, atque ad ejus scriptores intelligendos spectantia attentè colligantur. Reliqua vel prætereatis, vel minus æstimetis. Atque hæc de Authoribus, quos præ alijs ad legendum atque imitandum vobis proponendos esse duco.

Ratio & modus in legẽdis Authorib' cũ fructu.

Nunc adferam modum, quo in illis non infructuosè versari valeatis. Qui, quoniam duobus finibus inservire potest, tum ad intelligendum, tum etiam ad memoriam atque intellectum conservandum. Primo scire opere præcium est, qua ratione laborandũ sit vobis ut exactam scriptorum, quos evolvere placebit, intelligentiam consequamini. Quod enim verba ac stylum authoris legendi, ante alia probè cognoscere debeatis, ex se satis manifestum est. Quando velle res cognoscere, verbis ac nominibus, quibus declarantur ignoratis, vanum omnino putatur. Proinde Lexica parata habere oportebit, quibus, quod non noveritis, promtæ invenire, ac intelligere valeatis. Cujusmodi sunt, præter Lexica vocata, Erotianus, Liber Galeni de linguis, Julius Pollux, Ruphus, Ephesius,

Ephesius, Commentarij Budæi, in quibus innumera Galeni loca illustrata adinvenietis: Camerarius etiam Commentaria doctissima edidit, in quibus dum omnes corporis humani partium appellationes explicat, Medicinæ studiosis præclaram Viam sternit: Lexicon nuper editum, & Gorrhæi Definitiones etiam valdè juvabunt. Igitur hæc ubi exploraveritis, jam unum vel duos authores, ad summum proponere debetis, quos statis horis, quotidie videatis, atque majori qua potest fieri sedulitate legatis: ita ut nulla sententia, nulla res difficilis prætermittatur: quin ejus natura proprietas ac vis cognoscatur. Quod si interdum contingat locos aliquos abstrusos & difficillimos occurrere: expositores si qui erunt, adeundi erunt. À quibus si neque ad intelligentiam satisfiat præceptores consuletis. Quod si nec illi prodesse queant, vobis notandus erit locus, & ad alia transeundum. Ea spe, ut alia dies, vel alius leber, quod nunc non intelligitur, tandem aperiat. Neque ea sumus omnes natura & ingenio nati, quod non liceat interdum aliqua ignorare Quando & Grammaticis hoc laudi ascriberetur, ut ait· Quintilianus, si aliqua ignorent. Hoc in loco duo ad monere volo. Vnum ut si fieri potest, authores vetustiores absq; aliorũ cõmentarijs

Autores vetustiores sine cõmẽtariis legendi

legatis, nimirum qui & confundere judicia, & ingenia ad veritatem indagandam pigriora reddere soleant. Excipio unum Hippocratem, cujus obscuritas atque brevitas ejusmodi est, ut nisi Galeni commentarijs, aut alicujus alterius probatioris aliqua ex parte levetur, animos lectorum nimis defatiget, ac nonnunquam deprimat. Excipio etiam Avicennam cujus si unum interpraetem, quem alijs praefero, Jacobum de Partibus, vel Gemilem videre placuerit, ad aenigmata illa percipienda, non prohibeo. Sicut nec multum laudo, probos alioquin scriptores damnari, quod eloquentia res nobis non tradiderint. Etenim quis sana mente praeditus, margaritas, vel coeno obvolutas, si invenerit, lubentissime non capiat, atque etiam charas non habeat. Quum Ornari res ipsa negat, contenta doceri. Ut ille ait. Et ut scribit Celsus, remedijs non eloquentia curantur aegri. Alterum est, quod Cōpendia haec & Epitomas, quibus nonnulli sese brevi artem docturos pollicentur, tanquam pernitiem summam fugiatis. Scitis quid dicat Galenus contra illos, qui artem sex mensibus, addisci posse praedicabant. Omnes certè ut scribit Aristoteles 2. Rhetoricorum breviter addiscere amant. Attamen brevitas etiam suis terminis circumscribitur, quos nisi attingat, jam in vitium transit. Compendia possunt quidem consummatis viris,

Compendia fugienda.

viris, & in legendis autoribus exercitatissimis, ut meminit Galenus 4. de diff. puls. convenire ad ea in memoriam revocanda, quæ jam diu intellecta, fere obliterari periclitantur. At juvenibus innumera propemodum detrimenta pariunt. Primo ex Compendijs integras rerum naturas atque autorum sententias intelligere minime licet. Deinde memoriæ atque intelligentiæ exercendæ occasio, prorsus aufertur, quo tironum ingenijs nihil perniciosius inveniri potest. Demum ars ipsa perfectè nunquam comparatur. Quoniam si in principio fundamenta debilia atque imperfecta jaciantur, quicquid ipsis super extruitur, in firmũ omninò atque imperfectum evadat necesse est. Postremo, mira semper rerum, argumentorum, & aliorum, cognitionis paupertas in illis observatur, qui per Compendia, vel potius per dispendia, medicæ artis notitiam, nancisci student.

Sic ergo gerere vos debetis, in Autoribus ipsis, quos legetis, intelligendis. Jam ut studia vestra magis extollere, atque animos solida & varia cognitione ditare veleatis, hanc viam sequamini consulo. *Autores inter se conferendi.*

Quod si Hippocratem, Galenum & Avicennam, Celsum aliumve scriptorem præ manibus habueritis, quicquid apud ipsos discetis, aliorum etiam testimonijs confirmare nitamini. Verbi gratia, si contem-

platio de animæ ſede, de Indicationibus inveniendis, de alicujus pharmaci natura, vobis occurret, conemini, quid in eadem Plato aut Ariſtoteles, quid Hippocrates, quid Theophraſtus, aut Dioſcorides, quid Oribaſius, Aëtius, aut Alexander ſcriptum reliquis reliquerit, per Indices invenire: quo, ſi eadem illi ſenſerint magis comprobata ſit vobis notitia: ſin diverſa; aut concidare, aut meliora indicare, ac ſequi valeatis. Si verò aliquid addiderint memoria dignum, in veſtris theſauris colloccetis. Idem etiam in lectitandis Poetis atque Hiſtoricis obſervabitis: Vt ſi aliquid, vel ad materiam medicam, vel ad medicorum mores, vel ad ipſius medicinæ artem pertinere invenietis, libris medicorum adjungere, eoque ad confirmandam aut ornandam rerum medicarum notitiam oportunè utamini. Ita tamen quod appareat, vos cæteris medicos, & melioris prioribus anteferre. Sed hæc feciſſe, ac rerum plurimarum naturas, autorumque innumeras ſententias noviſſe parum erit, niſi illa etiam memoria complecti, conſervareque curetis, ne dum occaſio & neceſſitas exigunt, argumentis & rebus cognitis deſtituamini.

Et quanquam memoria quoddam naturæ donum in pluribus eſſe animadvertatur. Poteſt tamen in duſtria hominum

atque

atque diligentia efficere, ut tum memoria naturalis conſcrevetur excolaturque, tum ſi non adeſt, magna ex parte comparetur.

Memoria excolenda quinque modi. *Primus.* Ad quod obtinendum, quinque ſtudioſis omnibus magnopere utilia eſſe duco. Vnum eſt, ut alijs curis ac perturbationibus animi vacui atq; ſoluti contineantur: unde Plato in Timæo pueros ἐυμνημονέυτους ſeu memoria valere dicebat, quod eorum animi ſint nudi alijs figuris, ut ob id quæ ipſis tum temporis imprimantur, facile quoque conſervent. *Secundum.* Alterum eſt, ut quæcunque cogitabitis, quæcunque intelligentia conſequemini, iterum atque iterum animis obvolvatis, ſimulque & tenaciter, & cum voluptate imprimere ſtudeatis. Solent enim quæ magnam impreſſionem faciunt, perpetuò retineri, ſimiliter & quæ cum voluptate capiuntur. Perinde ac ſtomachus, ſi cibos cum delectatione ſuſcipiat, arctius complectitur, & melius concoquit. Sic namque Ariſtoteles in libris Politicorũ præcipit, Pueros ſtatim virtutibus ac honeſtis dedicari, quod tunc temporis omnia, veluti nova, cum admiratione atque voluptate capiant, & ſubindè firmiſſimè hæreant. *Tertius.* Tertium eſt, ut in ſtudijs veſtris, in lectitandis authoribus, ordinem aliquem certum & clarum habeatis, cui innixi, à recta & firma artis cognitione non deflectatis. Dicebat Ariſtoteles τὰ μαθη-

μαθηματικὰ εἶναι εὐμνημόνευτα: Mathematicas disciplinas facilè memoria comprehendi atque retineri: quoniam ordinem inter se quēdam habent. Cujus quasi cathenæ cujuspiā, meritò & compræhenduntur facilè, & compræhensæ memoria conservantur. Hippocratis & Galeni libri, jam sunt per classes dispositi: similiter & Avicennæ ac aliorum. Ut si à principiò cujusq; autoris libros evolvere auspicemini, atque ea ratione, quam exposuimus, incedatis, spes vos non fallat. Præterea Galenus librum edidit, quo ordinem legendi suos libros non infœliciter nos docuit. Inter recentiores Sylvius quoque libellum scripsit, in quo ordinem Hippocratis & Galeni commentaria legendi, & cum fructu percipiendi, uberrimè monstravit. Hos si sequi placuerit, non recusabo. Quartum ut non contenti sitis res aliquas, semel aut bis lectitasse & percepisse, sed eas animis sæpius obversetis. Atque dum occasio datur, cum amicis atque præceptoribus conferatis, examinetis atq; disputetis. Ita enim dicebat Aristoteles, τὰς, μελέτας τὴν μνήμην σώζειν, meditationes memoriam conservare. Neque aliud significarunt majores nostri, Palladem armatam fingentes, quam prudentiam, sapientiam, & bonarum artium cognitionem assiduis concertationibus comparari, & comparatam retineri. Quintum & postremum est, ut the-

Quartus.

Quintus.

sauros

ſauros ac promtuaria quædam vobis faciatis. In quibus, quicquid memoria & notitia dignum habueritis, per comunes locos diſtributum, reponatis, atque exigente occaſione eò recurratis. Poterunt loci communes eſſe, Cauſæ, ſigna, paſſiones, Præſervatio, curatio, pharmaca, diæta, Manuum operatio ac ſimilia. Sub his capitibus, collocare alias ſpecies, & ſub ſpeciebus proprias cuiq; propoſitiones pluribus teſtimonijs obſignare & corroborare, varietates annotare, conciliationes non præterire, aliorũque & propria inventa adjicere. Ex his theſauris rerum copiam, in primis cumulatiſſimam facietis. Deindè ex deſcriptione, ac jugibus inſpectionibus, magis cognitiones infigentur. Poſtremo ſi quid è memoria unquam exciderit, ſine multo labore ſtatim revocabitur. Cavendum eſt tamen, ne id vobis contingat, quod multis ante ſæculis hominibus eventurum auguratus eſt Thomus Ægyptiorum Rex, cui, ut ſcriptum eſt apud Platonem in Phædro cum Theuth literarum inventionem, quaſi magnum memoriæ remedium oſtendiſſet: vide dixit ille, ne potius ſint memoriæ deſtruendæ aptiores. Quaſi ſignificare vellet, ſæpè futurum ut homines, literarum monumentis confiſi, ea quæ ſcriptis poſſiderent,, minimè memoriæ mandare atque continere curarent.

Quantum ſtudijs incumbendum ſit.

& quomodo studiis incumbendū. nulla certa præscribi à me poteſt ratio. Quoniam alij ſunt, qui ob corporis nativam imbecillitatem, in laboribus ſtudiorum durare nequeant. Alij rurſus inveniuntur, quibus ſi tota die libris invigilent, nulla fatigatio, nullumve damnum ſuccedat. Et propterea quiſque proprias vires metiri debet. Sicque animum & corpus ſimul exercêre, ut neuter neutrum offendat. Sunt namque remiſſiones quædam in ſtudijs neceſſariæ, quæ alacriores animos, ingenia ac judicia, vividiora reddunt. Quæ ſi non adhibeatis, neceſſariò ingenij vires, promtitudo ac judicij acrimonia, veluti flacceſcunt: & ut dicebat Poëta ille.

Si nunquam ceſſes tendere, lentus erit. Modo tamen remiſſio hæc non ita alliciat ac oblectet, ut poſtmodum in deſidiū convertatur.

Tēpus ſtudiorum cujusmodi eſſe debeat. Tempus aptum ſtudijs, matutinum eſt. Aurora ſemper contemplationibus muſisque amica putata eſt. Quoniam corpore vacuo, ſpiritus magis liberi, magiſque ſicci redduntur. Tales verò quemadmodùm Galenus & Plutarchus ex ſententia Heraclidis dicebant, animorum atque ingenij operationes, magis perficiunt. Eſt & veſpertina hora, quando præſertim ſtomachus cibis non gravatur, ſtudijs apta.

Pleno ventriculo, cibiſq; adhuc effu-

mantibus

mantibus ne ſtudeatis hortor: quod non ſanitati ſolùm magnopere nocet, verumetiã animis caligines & torpores quoſdam obducit. Qui poſtmodum familiaritatem neſcio quam, cum illis paulatim contrahentes, ingenia hebetant, retardant, ſimulq; judiciorũ puritatem, aliquibus temporum intervallis corrumpunt.

Multa alia ad amplificandam hujuſmodi tractationem in medium proponere potuiſſem: at ſatius duxi ulterius non progredi: cum, quia omnia ferè quæ ad rem pertinent, quæve alter fuſius explicaret, breviter, nec obſcurè comprehenſa fuerunt: tũ quia unicuiq; veſtrum, aliqua addendi, vel etiam optima ſuopte ingenio excogitandi facultatem eſſe relinquendam judicavi.

DIXI.

LECTORI.

CUM HOC MERCURIALIS libello, Cõfer Ea, quæ Clariſſimus Medicus & Philoſophus, IOANNES HEURNIUS, *ſuper eõdem argumento, Elegantiſsimis ſuis* MEDICINÆ INSTITUTIONIBUS *conjunxit.*

36

HONORATI CASTELLANI ORATIO LUTETIÆ HABITA, QUA FUTURO MEDICO NECESSARIA EXPLICANTUR.

PRUDENTIA FIRMA.



SIMPLEX SPES

ARGENTORATI,

Excudebat, CONRADUS SCHER.

M. DC VII.

CONDISCIPULIS SUIS AMANTISS. MONSPESSULI Medicinæ operam navantibus Andreas Beſſoycus S. P. D.

NAtura comparatum ſic eſt (condiſcipuli humaniß.) ut plerique mortalium ſibi, & abdomini duntaxat nati, tantum abſint ab ſtudio affectuq; juvandorum hominum, ut eoſdem infinitis etiam malis afficiant: alij verò, ut ſuarum voluptatum commodorumq; penitus obliti, nihil non agant, quò cœtui hominum prodeſſe queant: ab eoq; naturæ inſtituto per totum vitæ curſum nullo etiam urgentiſſimo negotio poſſint avocari. Quod quidem veriſſimum eſſe, vel in unico Honorato Caſtellano, quovis præcone majore, perſpicuè quisque cernere poteſt. Sic enim à natura informatus, inſtitutusq; fuit, ut ſtatim etiam ab ineunte ætate, incredibili amore commodis mortalium inſerviendi flagrarit:

qui non

qui non modò cum ætate accrevit, ſedita fructuoſius quamplurimis extitit, ut ei incredibilẽ ſine invidia laudem pepererit. Quamprimũ n. his artibus luculenter ornatus, & instructus fuit, quæ omniũ ſuffragiis ingenuo, ac libero homine dignæ judicantur: eas nõ in fœdũ ſordidũq; quæſtũ, ſed docendo, medendo, & ſcribendo, in humanæ ſocietatis uſum candidiſsimè cõvertit. Nam cùm paulò liberius in clariſsima Monſpellienſi Academia cũ genio ſuo verſaretur, omnẽ (ut ajunt) movebat lapidẽ, quò illis artibus mortaliũ animos ſibi demereret. A qua quidẽ propenſione, etiamnũ in Aulã tanquã transfuga retractus, nullo obice unquã abduci potuit, quin etiã de florentiſsima Pariſiorũ Academia benè mereri ſtuduerit. Etenim quanquã infeſtiſsimis aulicorũ negotiorũ fluctibus agitaretur, precibus tamen quorundã φιλιατρῶν victus, quicquid temporis ad reſpirandum haberet, eo maluit propriũ geniũ defraudare, quã illud penè quotidiana contentione efflagitantibus denegare. Quare tumultuario quidẽ ſtudio, Galeni libellũ de conſtitutione artis medicæ interpretandũ ſu-

ſcepit, non oſcitanter tamẽ & perfunctoriè illud præſtitit: ſed antiquã ad illius libelli enarrationẽ ſe accingeret, præfanda quædã duxit, quæ inſtituto negotio magnã lucẽ eſſent allatura. In quo cũ ſe ita geßiſſet, ut illũ omnes ſupra fidẽ laudarent, & ejus dicta mirificè approbarẽt, in eiſq; nõ pauca continerentur, quæ & ſcitu digniſsima, & futuro Medico maximè neceſſaria viderentur, operæpreciũ me facturũ exiſtimavi, ſi pro mea erga unũquẽq; veſtrũ benevolẽtia, eorũ vos participes facerẽ: ut ſi illius viva voce & ſolita cõſuetudine frui nõ liceat, ſcriptis ſaltẽ uti poßitis. Quocirca ea typis cõmittenda duxi, quæ in modũ orationis prima ſtatim prælectione tractavit auctore nõ modo reluctante, ſed etiam planè inſcio & ignaro. Ob eamq; cauſam, ſi quidpiam in illis occurrat, ab illius viri doctrina alienum, id non auctori, ſed meo potius capiti aſſuatur, qui ea negligentius exceperim: ſi quid verò aut fructus, aut delectationis acceperitis, id illi totum acceptum feratis. Bene valete.

HONO-

HONORATI CASTELLANI Oratio Lutetiæ habita; qua futuro Medico neceſſaria explicantur.



Rrogantis fortaſsè fuerit, Viri percelebres, quòd is qui neque dicendi facultate, neque rerum cognitione eximia valeat, publicum medicinam profitendi munus ſuſceperit: in ea præſertim civitate, quæ totius orbis eruditiſſimis ac præſtantiſſimis viris ejus artis profeſſorib⁹ eſt ornata. Quòd ſi quis etiam varijs diſciplinarum generibus cumulatiſſimè inſtructus, illud ipſum aggrediatur, is planè videbitur ἐν κέρατι τῆς ἀμαλθείας κάρπους τιθέναι. Qui verò poſt rei inſolitæ & novæ auditum ſeipſum collegerit, ac noſtri inſtituti rationem paucis intellexerit, nos omni arrogantiæ ſuſpicione & nota liberabit. Cum ego ab ineunte ætate in præſtantiſſimæ hujus Academiæ ſpatijs, aliquo temporis curriculo educatus, nonnulla eorum mihi comparaſſem, quibus illa ætas ad graviorum aditum informari ſolet, tandem Medicinæ ſacris initiatus, eximios artis medicæ profeſſores ſum ſequutus, qui hoc ipſo tempore, eadem eruditione & ſedulitate, qua olim, idem munus perſequuntur. Illorum diſciplinæ me totum commiſi, primaque

que eruditionis medicæ (si qua in nobis sit) fundamenta sub illis jeci: quæ quidem ego deinceps quàm maxima potui diligentia in præclarissima Monspelliensium Academia sum persequutus: in qua Medicinæ arcana, etiam abditissima à gravissimis & eruditissimis hominibus tum docendo tractari intellexi, tùm etiam in ipsa artis exercitatione observavi. Duces autem mihi proposui sapientes illos, & longo rerum usu doctos senes, qui juniores veluti manu ducentes, in ipso artis opere tam benevolè & officiosè exercent, ut ex illis longè uberiorem fructum studiosa juventus referat, quàm ex sedula & diligenti librorum evolutione. Ad eam Academiam cum jam profectionem adornarem, quorandam φιλιατρῶν suasione, & quotidiana fermè efflagitatione incitatus, me ab aulicis perturbationibus & negotijs aliquantulum subduxi, ut quales ab hoc ipso loco fructus olim acceperam, tales (si pro meis liceret viribus) diebus aliquot rependerem. Hanc sanè animi mei propensionem, non solum laudavit, sed etiam promovit Mecœnas meus Ioannes Berthrandus Galliæ Procancellarius dignissimus, qui ut est varijs doctrinæ & sapientiæ dotibus ornatus: sic studiosorum conatus, quibus potest artibus (potest autem quamplurimis) & fovet & promovet. Cui cùm placere institutum hoc nostrum facilè perspicerem, hanc pro-

vinciam

vinciam ſuſcipere non dubitavi: tum ut illi ad honeſta promoventi, & artis medicæ ſtudioſis juſta efflagitantibus ſatisfacerem: tũ ne in communi hoc diſciplinarum theatro, alijs omnibus aliquid agentibus, ego unus inutilis aut omnino otioſus viderer. Nihil enim ego unquam aut præclarius, aut libero homine dignius judicavi, quàm vel ſcripto, vel lectione, vel opere alios mortales juvare, & communem hominum ſocietatem mutuis auxilijs conſervare. Siquidem his artibus cenſuerunt veteres ἄνθρωπον ἀνθρώπῳ θεόν. Illud autem hominum genus, quod diſciplinas omnes ad ſordidum quæſtum tãquam ad certum ſcopum refert, & πρὸς τὰ ἄλφιτα, ut eſt ab omni humanitatis officio alienum: ſic ſanè artibus ad liberum hominem ſpectantibus ſemper indigniſſimum eſt habitum. Nec ſunt minori reprehenſionis nota digni, qui cùm multiplici & varia rerũ cognitione valeant (qua reliquos mortales non mediocriter juvare poſſunt) malunt tamen tam præclarum deorum munus unà cũ corpore ſepultum jacere, quàm aut doctrina aut ſcripto ad poſteros pervenire. Veterum inventis & præclaris monumentis uſa eſt poſteritas, quibus ſi caruiſſet, aut abditæ & occultæ jacerent omnes diſciplinæ (quæ illorum ſcriptis illuſtratæ ſunt) aut in illis permulta tenebris dēſiſſimis involuta laterent, quæ facilè ac dilucidè ab illis explicata, ad nos

ad nos tandem magno mortalium uſu ſunt translata. Qua quidem laude nihil præſtantius, nihil homine dignius, nihilq; ad deorũ immortalium naturam propiùs accedere poteſt. Hac via nulla eſt ad veram gloriam, & ad nominis immortalitatem expeditior. Id enim ſunt veteres conſequuti præter egregiam mortalium utilitatem, ut illorum memoriam nulla unquã ſit abolitura vetuſtas. Nec ſolum ſcriptis poſteros juvare voluerũt, ſed etiam ejuſdẽ tempeſtatis homines, permultis officijs demeruerunt. Cæterum (ne hujus rei aliunde, quàm ex medicina exempla petantur) quis neſcit divinum illum Hippocratem alterum Medicinæ parentem, καὶ πάντων ἰατρῶν κορυφαῖον artem medicã ſuis temporibus fermè ſepultam, aut ſaltem incultam nullaq; methodo diſpoſitam, divinis planè ſcriptis tantoperè & exornaſſe & amplificaſſe: ut ſub eo primùm nata Medicina videatur? Quamvis enim ante Hippocratis tempora, Æſculapium Medicinæ inventorẽ agnoſceret antiquitas, aut etiam altius ad Deos originem referret, nondum tamen certis diſciplinæ & artis legibus, Medicina conſtabat, non ex theorematis & præceptionib⁹ tum veris tum utilibus, tum mutuo inter ſe connexu hærentib⁹ erat conſtituta, ſed ſparſa quædam & ἄτακτα erant Medicinæ rudimenta, quæ potius ἀτεχνίαν, quàm ullum artis veſtigium oſtendebant, quibus ſum-

mus

mus ille Hippocrates ſplendorem & ornamentum attulit, ſparſa colligens, inculta illuſtrans, confuſa certo ordine diſtinguens: multa ex philoſophorum ſpatijs repetens, quæ ad rem medicam pertinebant: nonnulla brevibus & conciſis ſententijs (quas ille Aphoriſmos appellat) definiens, permulta verò particularibus experimentis obſervās, ex quibus ad univerſalium certiorem cognitionem nos deduxit, quod ille libris ἐπιδημίων luculenter & cumulatè deſcripſit. Hac ſanè methodo, rudi & adhuc naſcenti medicinæ maximum præbuit incrementum, omniumque rerum, quę in ampliſſimis illius campis tractantur, ſeminaria nobis reliquit Hippocrates tanquam bonus agricola. At, ut ille fuit βραχύλογος, καὶ κατὰ φράσιν πυκνόμενος· οὕτως τοῖς ἐνθυμήμασι πλουτῶν, καὶ εὐπορῶν. Et quod olim de Menelao luculenter Homerus, id ego de Hippocrate, non minus verè poſſum dicere, παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λυγαίως. Maxima ſunt & planè divina hæc Hipp. beneficia: non minora quæ in Coos & Athenienſes ipſo opere contulit. Is enim quibus potuit artibus, ſævientem & populariter magna hominum pernicie graſſantem peſtilentiam circa Illyricum agrum, ab Attica regione depulit. Abderitanos, ad quos Democriti curandi cauſſa vocatus fuerat, ab eodem periculo liberavit: alioſque permultos moribundos, arte medica ad vitam

tam

tam revocavit. Ob quæ tam eximia & egregia merita divinos ab illis honores est consequutus, eumque in sacris publicis antiquitas celebravit. Non minori juvandi mortales desiderio flagravit Galenus, qui accepta ab Hipp. semina, tanquam bonus & diligens colonus, tam exactè, tam sedulò & cumulatè excoluit, ut illis maximam lucem attulerit. Cum enim ob dicendi brevitatem multis obscuritatibus essent implicatæ Hippo. sententiæ, dilucida Galeni enarratione, ita sunt à tenebris & caligine explicatæ, ut quæ ante illius tempora, tanquam ænigmata scotena latebant, nunc facilè omnibus innotescant. Addidit & nonnulla Galenus, quæ Hipp. intacta reliquit. Neque enim tam malè de posteris merita est natura, ut illis omnem cogitandi & inveniendi ansam præripuerit. Permulta sunt à veteribus præclarè inventa, quibus nonnulla fœliciter addidit posteritas. Pulsuum nomen solum apud Hippo. invenies, illorum autem naturam & facultatem, tum in sanis, tum in ægrotis plenè & copiosè Galenus est persequutus. Huic denique tantus publicæ utilitatis amor fuit ingenitus, ut nullo etiam magni laboris metu, nullis periculis deterritus, in Lemnum, Cyprũ, & Syriam navigarit: eo tantum animo, ut quæ legitima & syncera, quæque spuria, & adulterata essent medicamenta, certò dignosceret, & eas notas scriptis memoriæ

pro-

proderet. Nihil enim ille ſcriptis commiſit, quod non aut viderit, aut expertus fuerit. Taceo admiranda illius opera in curandis ægrotis, quibus divinam laudem, & gloriam ſuis temporibus eſt conſequutus, tum apud ſuos, tum etiam Romæ, ubi Medicinam ſucceſſu fœliciſſimo cum magna ſui nominis celebritate exercuit, omnibusq; Romanis, tũ in morborum natura cognoſcenda, tum in præſagiendis rerum eventibus ſummæ fuit admirationi. Plura ad hanc rem, & ea quidem exemplorũ fide pleniſſima adferri poſſent, niſi aut ſermonis prolixitate aures veſtras offenderem, aut vobis in noſtris rebus commendandis profuſior viderer. Eo autem vinculo, & quaſi quodam nexu hominum ſocietas conſtat, ut aliorum ſcripta magno nobis ſint uſui, aliorum certiora ſint opera, quorundã verò viva vox magis afficiat. Quæ profectò ad capeſſendas diſciplinas plus ſemper momenti, alijs rebus omnibus eſt habitura. Neque enim quiſquam ex libro nauclerus, aut alterius artis opifex evadit: cum ad hoc potius comparati ſint libri, ut eorũ quæ jam ante didicimus, ſint monumenta quædam, non ut rudes & ignari, doctrinam perfectam per illos aſſequamur. Hac via illis eſt incedendum, qui perfecti Medici & dici, & haberi volunt. Non enim is qui & veterum & juniorum ſcripta ſedulò magnisque vigilijs evolverit, ſummus eſt artifex futurus

(quanvis

(quanvis & hoc maximi ſit momenti) ſed is, qui tum docentes Medicinam magna animi attentione audiverit, tum etiam artem exercentes longo tempore ſequutus, illorum conſilia obſervarit: multaque per manus ab illis quodammodo acceperit, quæ nulla ſcribendi facilitate, aut dici aut explicari poſſunt. In quibus ſanè omnibus ſenſuum æſtimatio primas ſemper tenuit, cùm res ipſæ potius αὐτοψίᾳ, quàm ſcriptis cognoſcantur. Cæterum cum longè lateque pateat Medici munus, ſitque Medicina τεχνῶν πασῶν ἐπιφανεστάτη, non alienum ab inſtituto meo fuerit paucis ea perſtringere, quæ futuro Medico neceſſaria videantur: tum ut unuſquiſque, qui ſibi ad hanc diſciplinam additum parat, ijs rebus cumulatè inſtructus accedat: tum ut qui neceſſaria rerum cognitione ſunt deſtituti, intelligant, tam ſacram artem indoctis artificibus non eſſe contaminandam: qui ſæpenumero diſciplinam, humano generi alioqui utiliſſimam & ſaluberrimam, in odium & invidiam multorum pertraxerunt. Exularunt olim Roma Medici, non quidem ob artis con temptum, ſed potius ob artificum imperitiam. Quorum alij multis medicamentis hominum vires enervabant: alij temerario & inutili ſumptu eoſdem premebant: nonnulli ſcurræ potius, quàm Medici, videbantur, alienas menſas ſectantes, primarios civitatis

viros

viros quotidie ambitiosè ſalutantes, alijsq́; id genus officijs inſtar mancipiorum, non eruditione & prudentia, hominum benevolentiam retinebant: nonnulli frigidam petentibus, frigidam exhibebant, & in omnibus ad ægrotorum vota & arbitria, aſſentatorum more, ſe componebant. Atque utinã ad noſtra tempora, hæc calamitas nunquam perveniſſet: fœlicius enim & cum Medicis, & cum ægrotis ageretur. Hoc genus homnũ eleganter depinxit Hip. ὁμοιότατοι γὰρ ἐισιν οἱ τοιοίδε, τοῖσι παρεισαγομένοισι προσώποισιν ἐν τῇσι τραγῳδίῃσιν. ὡς γὰρ ἐκεῖνοι σχῆμα μὲν καὶ στολὴν καὶ πρόσωπον ὑποκριτοῦ ἔχουσιν, οὐκ εἰσὶ δὲ ὑποκριταὶ, οὕτω καὶ οἱ ἰητροὶ, φήμῃ μὲν πολλοὶ, ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοί. Dicam, igitur breviter, Viri ornatiſſimi, & quidem breviùs quàm res tãta dici poſſit (ſi mihi per veſtram benevolẽtiam licuerit) quæ ſint illi comparanda, qui arte Hippocratica & Aſclepiadarum familia dignus haberi velit. Qua quidem parte, ut multa is, cum alijs artificibus communia eſt habiturus: ſic etiam nonnulla propria, quæ peculiari quodam jure ſibi vendicare poteſt. Primum igitur cum ex Platonis ſententia omnium diſciplinarum ſeminaria ſint ex naturæ fontibus profecta: nihilque ſummum, aut perfectum in diſciplinis uſquam appareat, quod non illam ducem ſit ſequutum, jure optimo naturam propitiam, & ad diſciplinas capeſſendas propenſam in futuro Medico re-

eo requirimus: quibus naturæ dotibus qui fuerit destitutus, ad hujus disciplinæ summum fastigium sibi aditum esse præclusum intelligat. φύσιος δὲ (ut inquit Hippo) ἐς τέχνην ὁδηγεούσης διδασκαλίη ἀρίστη καὶ τελεωτάτη γίνεται. Sunt nobis omnium cognitionum veluti quædam semina ingenita, quæ pro varia corporis constitutione, aliquando perfectiora, & puriora: nonnunquam impuriora apparent. Sensus omnis est cognitionis, quæ in propriam æstimationem & judicium cadit, initium. At illud ipsum cognoscendi principium non omnibus æquabiliter à natura est impertitum. In quibusdam enim animantibus unicum est, & simplex: in aliis, perfectioribus nimirum, varium & multiplex, multas & varias rerum cognitiones suppeditat. Hoc ipsum in homine aliquando acutius, aliquando hebetius, ut varia est corporis constitutio, observatur: atq; adeò in uno eodemque, longo annorum decursu, hanc cognoscendi vim nobis ingenitam, minui, hebetari, tandemque aboleri conspicimus. Id autem in futuro medico quàm fieri potest, acutissimum esse naturâ oportet. Quòd si velis sigillatim varios sensuum fontes contemplari, primò se offeret oculorum acies, quàm illi acutissimam esse debere quotidianus rerum eventus facilè cōmonstrat: tum ut primo statim conspectu, qualisnam sit ægroti vultus, sanóne similis, an dissimi-

lis, facilè dijudicet: tum etiam, ut cutis co-
lore inspecto, subjecti succi conjecturam ca-
piat, aliaq́ue id genus in varijs excrementis
observet, quæ ad colorem, quantitatem, &
eorundem permixtionem referuntur: in
quibus visus censura est opus. Quinetiam
& tunc oculorum perspicacitas valde neces-
saria, tum in penitioribus palati, aurium,
narium, matricis partibus ulcera, aut affe-
ctus alij, sunt introspiciendi, ad quas hebe-
tior oculorum acies pervenire minime po-
test. Si odoratum consulas, multa sunt hoc
judice à Medico, non sine maxima utilitate
expendenda: quale est universum illud sym-
ptomatum genus, quod circa olfactiles qua-
litates, & totius corporis, & naturalium suc-
corum, & ipsorum excrementorum versa-
tur. In quibus sanè omnibus, tanta est hujus
sensus vis, & facultas, ut etiam ex odore de-
prehendas, vitiatáne sit corporis, & succorū
temperies, an inculpata, & nullis corruptelæ
vitijs conspersa. Quis non facilè perspicit te-
trum illum, & virulentum Elephanticorū
odorem, quem toto corpore expirant, ma-
ximum nobis corruptelæ argumentum præ-
bere? Quis etiam non animadvertit fœtidam
axillarum, & inguinum exhalationem in ca
lidis & humidis naturis, nobis facilè demon
strare propensam ad putrilaginem (quam
σηπεδανώδη appellant) corporis constitutio-
nem? In sudoribus, urina, alui dejectio-
nibus,

nibus, pure, ſputis, muco narium, mulierũ menſtruis, & alijs id genus, hujus ſenſus judicium manifeſtius exiſtimo, quàm ut à me plenius explicari debeat. In materia verò medica, ſive ad alimenta, ſive ad medicamenta te convertas, ſagaciſſimo odoratu opus eſſe judicabis: cum vel ſolo odore, aliquando dignoſcamus familiaréne ſit futurum alimentum, an à nutriendo corpore alienum. Quod etiam nonnullis animantibus natura tributum video. In medicamentis explorandis, non levia ex hoc ſenſu argumenta deſumuntur. Secundum enim à ſaporibus locũ tenent, quę ab odoribus ſumuntur, temperamenti conjecturæ. Quorum alij ex ſaporibus pendere videntur, alij verò propria cõſtant natura: nondum tamen certis appellationibus definitas habent differentias. Quorum omnium certiſſimum κριτήριον eſt odoratus, qui eo perfectiorem rerum cognitionem eſt medico allaturus, quò in eo ſagacior fuerit. Guſtu non minus valere debet, cũ ad illum tum alimentorum, tum medicamentorum judicium ex ſaporum varietate ſit referendum, in quibus potiſſima ac præcipua artis medicæ materiæ verſatur. Huc accedit, quòd medicum, artis culinariæ nõ eſſe imperitum oporteat, quæ ferme tota ex ſaporum judicio eſt æſtimanda. Tactus a. ſit illi exactiſſimus, quo varias hominum tum ſanorum, tum ægrotantium tẽpe-

raturas explorabit, calidi, frigidi, & aliarum qualitatum, tum varias vires, tum multiplices recessus observabit: hoc censore, aliū in juvene, alium in puero caloris gradum annotabit. Quinetiam & in morbo languentibus qualitatum occursus dissimiles deprehendet. Cum frequenter circa initia mitior sentitur caliditas, quæ paulò post immorante manu, veluti geminatis viribus acrior emergit: aut contraria ratione. Quæ exquisiti & exercitati tactus hominem desiderant. Quòd si cui hujus sensus organa, aut intemperata, aut pravi succi confluxu vitiata fuerint, is de hominis constitutione, nihil certi statuere poterit. Fallax enim & inconstans est futurum rerum omnium judicium. Si verò pulsuum differentias consideres, occultos arteriarum motus, cum aut in centrum se colligunt, aut in superficiem evehuntur: si pulsuum æqualitatem, aut inæqualitatem, non in varijs tantùm pulsationibus, sed in una eademque motus parte: si varios pulsuū rhithmos, duritiem & mollitiem arteriæ consideres, facilè judicabis temperatissimū atque exactissimum tactum Medicis esse per quam necessarium: alioqui planè divina pulsuum cognitione carebit, quæ & ad morborum cognitionem, & eorundem curationē, ac præsagiendi rationem, est utilissima. Taceo reliqua quæ ad sensus pertinent, quos si naturâ accutissimos fuerit consecutus, maximi

ximi ad artem medicam exercendam uſus eſſe deprehendet. Sed jam hoc omiſſo cognitionis principio, quod circa particularia verſatur, animum paulò altius attollamus, aliudq́ue principium longè præclarius ac divinius perquiramus, quo ornatum eſſe naturâ eum oportet, qui Medicinam certa methodo & via aſſequi voluerit. Id autem Plato διάνοιαν, alij νοῦν, alij verò διανοητικὴν δύναμιν appellarunt: mens nimirum illa eſt, quæ divinitus immiſſa, etiam hoc corporis ſepulcro involuta, ſuæ originis non immemor, quæ divina ſunt, æterna, & univerſalia contemplatur: hæc illa eſt omnium diſciplinarum & inventrix & moderatrix, quæ tamẽ corporis ratione in quibuſdam liberius & acutius id efficit, in alijs verò tardius & remiſſius. Hanc naturâ acutam eſſe & facilem, nõ ſolum futuro Medico, ſed alteri cuilibet, qui aliquod diſciplinę genus conſequi voluerit, oportet: quibus verò hebetior mens eſt, quã ut poſſit quæ divina ſunt in diſciplinis percipere, ijs ad ſummum & perfectum diſciplinarum faſtigium, & culmen pervenire eſt denegatum. Quamvis enim repugnante natura, aut labore improbo, aut multis vigiliis aliqua conſequatur: medicorem quidem, ſummum autem gradum nunquam attinget. Summos enim natura artifices, mediocres autem ars efficit. Nam ut præclarè ſcripſit Hippocr. φύσιος γὰρ αὐτὴ πρὸς ἁπάσας ἅπαντος

κένεα. Iſtis igitur naturæ dotibus ornatus, & tanquam firmiſſimo præſidio circunſeptus, huic diſciplinæ ſe committat: in qua ſummus aliquando eſt futurus, ſi reliquorum omnium veluti concurſu & acceſſione hoc naturæ beneficium cumularit. Maxima quidẽ ſunt hæc, quæ ex naturæ propenſione nobis accedunt commoda: at illa parum profutura existimo, niſi & laboribus diligenter ſint exculta, ac continua, & frequenti meditatione excitata. Naturam proximè ſequitur διδασκαλία, quæ ſanè ea eſt methodo comparanda, ut non πάντα ἐν πᾶσι, ſed ſuo quæque ordine & loco collocata diſcantur. Sunt enim quædam vel ſtatim initio docenda, alijs poſtremus debetur locus, quibuſdam verò medius. Quòd ſi hanc ἀταξίαν perverterit, incerta & inconſtans, atque adeò confuſa eſt futura illarum rerum cognitio. Hac methodo qui uſus fuerit in diſciplinis comparandis, nihil ſibi ad veri inveſtigationem reliqui eſt facturus. Ut autem inferiores diſciplinas omittam, variaque idiomatum genera, ſine quibus ad graviores nulli patet aditus: Mathematicas primùm magno ſtudio magnaque ingenij contentione conquirere debet, qui medicinam pro dignitate & tractare & exercere voluerit: quibus ſi caruerit, in cæca multarum rerum, quas Medicina docet, ignoratione verſabitur. Nunquam enim videndi rationem intelliget, quæ per

conum

conum pyramidis à re videnda deductæ fieri creditur, nisi ex abditissimis etiam Geometriç sententijs hanc linearum varietatem dicerit: multò minus illud assequetur, cur vitiato oculorum situ, cùm altera pupilla sublimior, altera depressior conspicitur, res omnes geminæ appareãt. Hæc omnia si quis velit ἀποδεικτικῶς cognoscere, quæ certa est & constans cognoscendi ratio, non aliunde quàm ex geometrica & optica demonstratione consequetur. Sunt & permulta geometrica in humani corporis structura considerandâ, qualis est certa partium humani corporis inter se proportio. Non enim temerè parens illa rerum omnium Natura, alias alijs aptavit partibus, sed ea mensura & proportione sunt omnia connexa & colligata; ut hominis benè compositi, conspecto pollice, facile judices, quanta sit reliqui corporis magnitudo. Quam rationem illos inivisse existimo, qui ex vestigio pedis Herculis, quãtus ille fuisset: conjiciebant. Quòd si aut magno corpori parvum, aut parvo magnum caput sit appositum, parum concinna corporis figura judicetur, potiúsque naturæ ἐκβολὴ, quàm illius perfectum & absolutum opus: quod vel formatricis illius facultatis imbecillitatem, & materiæ ad procreationem aptæ copiam, vel penuriam, aut ejusdem vitium in prima fœtus compositione affuisse demonstrat. Quis ne-

ſcit etiam figuræ rationem, in varijs humani corporis partibus geometrica lege expendendam eſſe? Rotunda nimirum multis eſt tributa, ad dyſpathiam: Cùm enim hæc figura nullos prominentes habeat angulos, ſed tota ſibi ipſi cohæreat, externarum rerũ injurijs non tam facilè eſt expoſita: ob id ſagax, & provida natura extremas fermè omnes corporis partes rotunditate aliqua circunductas eſſe voluit. Eadem etiã πρὸς τὰς εὐρυχωρίας rotunda potius, quàm alia figura eſt uſa, quòd hæc etiam ſui undique ſimilis, plura & contineat & complectatur, quã quævis alia angulis circunclusa: qua ratione cerebri ventriculo, matrici, utrique veſicæ, alijs denique omnibus, quæ ſuo ambitu, & circunflexu aliquid continent, rotunda figura à natura eſt tributa. Quòd ſi quis toti corporis molem conſideret, illud planè eſſe ἰσόῤῥοπον adinveniet, libratis æquabiliter alterutrius lateris ponderibus: Si autem majus in alteram partem pondus inclinaret, fieret corpus ἑτερόρροπον, varijs tum actionibus, tum motibus obeundis parum accommodatum. Id ipſum non in univerſo tantum corpore, ſed in certis illius partibus, naturam obſervaſſe, cordis ſtructura, ex ipſa anatome inſpecta, facilè commonſtrat. Cum enim dexter illius ſinus ſanguinis gravitate, & põdere ſiniſtrum, ſpirituoſa ſubſtantia, eaque leviſſima oppletum, potuiſſet deflectere, ſpirituum

rituum levitatem, cordis crassitie & mole compensavit. Qua ratione quantum ponderis à sanguine dextræ parti accedebat, tãtum sinistræ fuit additum incrementi ipsa cordis substantia crassiori, ut medio thorace planè æquabiliter libratum cor, basim, neq; in hanc, neque in illam partem deflexam habeat. Taceo obliquos musculorum situs, rectos & transversos, quæ quidem omnia Geometria imperitus, aut observare, aut assequi non poterit. Quòd si ad chirurgica opera te conferas, geometrica ratione parantur Catheteres, alij longiores, alij breviores, nõnulli magnitudinis mediæ: sic etiam cyclisci, solines, μηχανικοὶ φακωτοὶ, ἀβάπτιςα, ὀςάγραι, variæ cauteriorum formæ, alia denique instrumenta, quæ aut reducendis luxatis partibus, aut alijs chirurgicis actionibus obeundis conveniunt. Quorum nihil neque à medico appositè præscribi, neq; ab artifice probè parari, citra geometricam linearum rationem potest. Numerorum ratione ad criticas supputationes utendum: neque alias mathematicas hac ignorata quisquam assequetur, cùm ad eas per Arithmeticam certus pateat aditus. Astronomiæ verò quantus sit Medico, non solum usus, sed etiam necessitas, ad artem tum intelligendam, tum exercendam, nisi res quotidie declararet, plenius mihi dicendum putarem. Audiamus hac de re præclare disserentem Hippocratẽ,

libello de aëre, locis, & aquis : οὐκ ἐλάχιστον μέρος συμβάλλεται ἀστρονομίη ἐς ἰητρικὴν, ἀλλὰ πάνυ πλεῖστον. Ille idem. 1. Prognosticω̃n, καὶ εἰ θεῖόν τι ἔνεστιν ἐν τῇσι νούσῃσι, καὶ τούτου τὴν πρόνοιαν ἐκμανθάνειν. Si qd divinũ ſit in morbis, magna cura & diligẽtia illius cõſideratio eſt ineũda. At nihil aliud divinum in morbis comperies (ut pleraque alia omittam) præter aëris nos ambientis conſtitutionem, quæ à ſempiternis illis ignibus, motu perpetuo immutata, nova aliquando morborum genera invehit: ſæpenumero jam genitis incrementum præbet: alijs verò depellendis, tanquam contraria & repugnans convenit: quæ quidem aëris mutationes cùm non ab inferioribus hiſce, & caducis corporibus pendeant, ſed cęlitus à ſuperioribus corporibus immitantur, divinum quid in morbis adferre videntur: quod nunquam cæca mortalitas Aſtronomiæ imperita deprehendet. Tanta autem harum mutationum vis eſt, & efficiendi poteſtas, ut qui nobis circunfuſus eſt aër, in intima quæque penetrans, nos ſuis viribus immutet: neque ſolum nos, verumtiam ſolidiſſima quæque corpora, quæ aliter calido, aliter frigido, aliter ſicco, aliter pluvioſo cælo affici conſpicimus. Tam inſignis eſt vis aëris per cuncta rerum meabilis, ut magni cujuſdam Tyranni inſtar, omnia pervadat, ſuiſque viribus & ſubſtantia afficiat, & (ut ſcribit Hippocrates) οἷον μέγιστος δυνά-

τῆς πολλὰς ἐν τῷ σώματι μεταβολὰς ποιέει.
Hunc & qualitatum immoderatione ſyderũ influxus mutant, & totius ſubſtantiæ corruptela ac vitio: hujus ratione, alios morbos priſco noverunt ſæcula, qui jam oblivione ſunt extincti: alios futuris ſæculis poſteritas animadvertet, cum novi ſyderum concurſus, aëriſque mutationes illorum effectrices contingent. Senſere & hanc perniciē noſtra tempora, quibus ex abdito, & infœlici ſyderum aſpectu, & ſordida hominum permixtione, lue venerea regiones multæ & nationes plurimæ perculſæ, afflictæque ſunt. Quaſdam regiones, ex conſimili fermè cauſſa magna mortalium ſtrage exercuit febris ſudorifica, quæ profluxu ſudoris immoderato, vires tam repentè convellebat, ut morbo exhauſtæ, & diſſolutæ deficerent. Infœlices hos ſyderum concurſus, nos Aſtronomia docebit, qua moniti impendentem humano generi perniciem longo antè tempore proſpicientes, hominum corpora ſic ad futuros rerum eventus præparabimus, ut ſi non omnino, ſaltem aliqua ex parte cæli inclementiam evitare poſſint. Quod & docuit Aſtronomorum facilè princeps Ptolomeus: Qui ſtellarum (inquit) ſciens eſt, & peritus, multos illarum effectus evitare poterit: Corpora nimirũ ita præparans, ut advenienti intemperaturæ, & corruptulæ queant obſiſtere. Maxima ſunt hæc Aſtronomiæ cō-

moda, humanæ saluti utilissima. Sunt porrò Medico magnorum syderum ortus, & occasus summa diligentia observandi, quibus tā magnæ fiunt in aëre mutationes, ut per eas (docente Hippocra) morbi potissimum generentur. Quid, quod horum syderum ortus nobis aliquando, aut exhibendi medicamenti, aut non exhibendi occasionem præbent? Vigente canicula, aut paulò ante caniculā, ita circunfusus aër exæstuat, ut pharmacorum usus, eo tempore, nobis sit valdè suspectus. Quod etiam notavit Hipp. sententia illa aphoristica, Sub Cane, & ante Canem, difficiles medicationes. Vidimus exhibita pharmaca, repugnantibus astris, nihil, aut parū effecisse: eadem consentiente syderum natura assumpta, copiosè, & salubriter aluum subduxisse. Si tamen gravius aliquod symptoma inciderit, quod præsens vitæ periculū minetur, huic non expectata fœlici syderum concursione, auxilio medico, quàm celerrimè fieri poterit, est occurrendum. Vt autē reliqua omittam, in quibus Astronomiam Medicina consulit, quis vel mediocriter in arte medica exercitatus, non facilè perspicit, Lunæ incrementa & decrementa, maximas in humano corpore mutatioces quotidie efficere, eamque non solum in ægrotis, sed etiam in sanis, quales sunt futuri dies, nobis prænuntiare? Etenim si Luna salutares & temperatos planetas aspexerit, faustos & fœli-

& fœlices dies promittit: ſi verò illius radij cum Saturni & Martis radijs permiſceantur, contrarium omnino accidet. Magnæ item Lunæ mutationes in tetragonis,& diametris ſtationibus, in lethalibus quidem morbis, lethales: in ſalubribus verò, ſalubres neceſſariò accidunt: quæ quotidie in miſeris mortalibus, acuto morbo languentibus, obſervamus. In hos enim Luna maximum habet imperium: quemadmodum in diuturnis & chronicis, Solis annua revolutio, magnas mutationes in varijs ſtationibus efficit, longéque majores, quàm alius quivis planeta, adeò ut crediderit antiquitas, omnium in ſe planetarum vires illum ſuſcipere, eaſq; huic orbi inferiori immittere. Permulta ſciens omitto, quæ ex Aſtrorum legibus, in rem ſuam Medicina traducit. Ad hæc ſi genethliacis judicijs Medicus fuerit inſtructus, horum acceſſione, magno cum judicio eſt utẽdum, ita ut quædam ex aſtris, non tamen omnia, pendere exiſtimes: alia verò ab inferioribus hiſce proficiſci, obſerves. Quæ omnia ex rerum eventibus ſunt metienda. Reliqua, quæ ex mathematicis diſciplinis, à Medico ſint petenda, ſilentio involuenda duxi, cum nos vel quotidianus rerum uſus illa cumulatiſſimè doceat. In philoſophiæ verò cãpis, quantum ſit operæ & laboris collocandum, rerum, quas Medicina contemplatur, ipſa per ſe natura oſtendit. Quum enim

tota

tota fermè in humanæ naturæ contemplationem incumbat, ſitque homo omnium quæ hoc inferiori orbe concluduntur, præſtantiſſimum, abſolutiſſimumque opus, nihil eſt uſquam in naturali philoſophiæ parte, quod ad illius inveſtigationem non pertineat. Nam ſi rerum primordia contempleris: ſi earundem cauſſas accuratiùs conſideres, in quibus motus principium à natura pẽdet: ſi motuum & mutationum varias viciſſitudines, hæc omnia in hominis natura conſpicies à quibus tam variè humanum corpus tranſmutatur, ut nullo unquam tempore firma, ſtabilis, & conſtans ſit illius conſtitutio: ſed fluxa, inconſtans, & ad ſuſcipiendas mutationes paratiſſima. Quæ, qui volet aſſequi, ex abditiſſimis naturalis philoſophiæ fontibus haurire eſt neceſſarium. Hinc repetendæ elementorum, ad humani corporis compoſitionem, permixtiones, ex quibus, tum ſanitatis, tum morbi certa eſt ratio ineunda. Ex iiſdem fontibus calidi, frigidi, humidi & ſicci vires petendæ, magnoque ſtudio conquirendæ, cùm ex his rerum omnium, quæ naturæ legibus reguntur, generationes, & tranſmutationes pendeant. Tanta eſt denique Medicinæ cum naturali philoſophiæ parte affinitas, tantuſque conſenſus, ut quicquid habet Medicina ponderis, & ornamenti in rerum univerſalium cognitione, id omne ex naturali philoſophiæ.

phiæ parte ſit deſumendum. Quicquid enim in omnibus, quæ natura continentur, phyſicus conſiderat, id omne fermè in hominis corpore Medicus contemplatur. Hominem conſiderat phyſicus natura utraque conſtantem, tum ea, quæ patiendi principium, tum ea, quæ omnem agendi & efficiendi poteſtatem præbet: ſuos fines longè lateque diffundit philoſophia, quos unius hominis naturâ Medicus concludit. Is enim totus eſt in hominis contemplatione: qua ratione per certas mutationes & viciſſitudines, nunc ſanitatem, nunc morbum ſuſcipit; circa quæ totum medici munus verſari videtur. Naturalis philoſophiæ finibus continentur, & phyſiognomica: quæ ſi non certum & conſtans, aliquod tamen rerum latentium judicium adferunt, quorum ego imperitum nolim eſſe Medicum. Sunt & quædam in naturali philoſophiæ parte abdita & abſtruſa, in quorum ignoratione cum verſentur homines, quædam ad Magiam, nonnulla ad pyromantiam, alia ad geomantiam, & conſimiles id rerum cognitiones referunt. Ad idem cognitionis genus accedere videntur quæcunque nos Pyrotechnia docet: cujus ego puriorem cognitionem (vanam illam omitto, quæ circa inutilia verſatur) à Medico non eſſe negligendam exiſtimo, cum vel quotidiana obſervatione deprehēdamus, quædā morborū genera tam eſſe contumacia, ut non alijs

præſidijs, quàm hac arte paratis cedant. Tãti denique fecit Ariſtoteles artis medicæ cũ naturali philoſophia connexionem, ut poſtremam phyſici contemplationem eſſe Medicinæ rudimentum & principium prodiderit. Si à naturali rerum cognitione ad logicas methodos te conferas, nihil illis in Medicina tractanda, aut utilius, aut magis neceſſarium adinvenies. Quis neſcit veteres Medicos ex logicæ methodi ignoratione, in permultos errores, eoſque humanæ ſaluti perniciofiſſimos incidiſſe? Leviſſimus enim circa hæc initia error, maximis tandem & graviſſimis occaſionem præbet. Docet rationalis hæc philoſophia, qua via ſanitatis & morbi natura inveſtigentur, qua methodo cujuſque differentiæ inveniantur, qua ratione & docenda, & conſtituenda ſit ars Medica. Hac cognitione qui caruerit, nihil unquam certi in diſciplinis, aut aſſequi, aut conſtituere poterit. Quæ ſparſa ſunt & confuſa huj⁹ beneficio in artem, certumque ordinem revocantur: nullam hæc peculiarem rerum cognitionem ſibi vendicat, ſed omne diſciplinarum genus pervagatur, quidque in ſingulis verum, quid falſum, quid conſequens expendit: eſtque hæc omnium diſciplinarum organum, ad eas intelligendas & exercendas omnino neceſſarium. Poſtremò ſequitur ea ſapientiæ pars, quæ tanquam morum magiſtra & moderatrix, humanæ vitæ rationem docet,

docet, in qua exercitatum esse oportet Medicum, tum ut mores suos ad continentiam & vitæ probitatem componat, tum etiam ut in morbo languentibus, varia animi pathemata, hac sapientiæ parte duce moderetur & regat. Alterum in Medico requirit divinus Hipp. libello de Medico, δεῖ τὸν ἰητρὸν δίκαιον εἶναι, καὶ ἐγκρατέα πρὸς πᾶσαν τῶν νοσούντων ὁμιλίαν. Alterum verò, rerum observatio ostendit, cum multa morborum genera, non aliunde quàm ex vehementibus animi affectibus suborta conspiciantur, quos temperare, ac moderari à Medici munere non alienum fuerit. Ex quibus efficitur, optimum Medicum eundem esse optimum philosophum. Quæ omnia qui magna ingenij contentione sibi compararit, singulasque medicinæ partes, ac universam illius materiam diligenter investigarit, non solum Hippocratis æmulator est futurus, sed illo longè superior. Quæ enim ab Hippo. scripta sunt, sedulò evolvet, & nonnulla observabit, quæ posterior ætas Hippocrati incognita animadvertit. His omnibus instructus, si ad Medicinam accesserit, magnos brevi tempore progressus est facturus, tandemque hujus disciplinæ culmen ac fastigium superaturus. At si quis harum rerum multitudine & difficultate à discenda Medicina deterreatur, sic velim existimet, non in his disciplinis ei esse consenescendū (vix enim etiam longissima hominis vita u-

nitan-

ni tantum exactè perdiſcendæ ſufficiat) ſed
ex varia hac rerum cognitione, illa in rem
ſuam tantum traducet, quæ ad Medicinam
intelligendam & exercendam pertinere vi-
dentur. Non enim anxiè & ſolicitè omnia
perſcrutanda, quæ tum in philoſophia, tum
in Mathematicis copiosè tractantur, ſed quæ
ad rem noſtram faciunt, tanquam certa quæ
dam organa ſunt deſumenda. Quiquid & vi-
tæ & laboris ſupereſt, id omne ei diſciplinæ,
quam exercere conſtituimus, eſt impenden
dum. Quamobrem, ut tandem aliquando
dicendi finem faciam, qui arte Hippocrati-
ca dignus eſſe voluerit, cum illa naturæ pro-
penſione (quam εὐφυΐαν appellant) Διδασ-
καλίων conjungat, & varios cognitionum fō-
tes, nobis ingenitos, continua meditatione,
& exercitatione excolat, & omnem animi
contentionem ad eam rem adhibeat, opor-
tet. Antequam tam gravem & humano ge-
neri ſalutarem diſciplinam aggrediatur, ijs
dotibus ornatus eſſe debet, quæ ad veri inve-
ſtigationem ſunt neceſſariæ. Sunt autem e-
juſmodi, Natura perſpicax, optima educa-
tio, præceptores ingenui, labor improbus,
veritatis amor ardentiſſimus, certa me-
thodus. Quorum permulta, ex nul-
lo orbis terrarum loco commodius aut u-
berius, quàm ex hac ipſa Academia peti
poſſunt. Quæ quidem in omni diſciplina-
rum genere tot, tamque egregios habet
profeſſo-

professores, ut nulla sit tam abdita rerum cognitio, nihil tam occultum & abstrusum, quod illis interpretibus in lucem splendidã non prodeat: qua fœlicitate eum vobis in hoc otio literario frui liceat, danda est operã, ut omnibus hisce disciplinis instructi, ad Medicinam accedatis. Estote memores præclariss. illius sententiæ Hesiodi, οὐκ ἀεὶ θέρος ἔσσεται, ποιεῖτε καλιάς. Dixi.

ANDREAS BESSOYCVS Leusolanus, Ad D. Honor. Castellanum.

QVisquis Honorati vultũ non novit apertè,
Hac legat, & noscet cõminus ipse virũ:
Nã si sermo, animi (ut phibẽt) certissim⁹ index,
(Quòd nil lingua, nisi mente jubente, sonet)
Quidnã erit in caussa, cur nõ noscare Minervâ
Castellane tuâ, quã tua verba facit?

AD HONO. CASTELLANVM Lodo. Iaufferandi Villariensis Carmen.

MIrãtur Coi Hippocratẽ, venerãt, adorãt:
Teq; tui ut Phœbũ, dive Galene, colũt,
Gallia docta suos laudat: Germania jactat:
Itala vix unquam gens icitura suos.
Nec icitura tuos Provincia clara, nec unquã
Debita defuerit gloria lausq; tuis:
Et tibi præcipuè, quẽ nũc quoq; Gallia laudat,
Castellane, ἰατρῶν Solq; decusq; virûm.
Hæc sunt magna quidẽ: sed qui te noverit, illi,
Crede mihi, nostro carmine major eris.

PETRVS FORCADA ROmanus Medicinæ studiosis.

QVuquis Apollineas vis cōsectarier arteis,
Perlege qua scripsit nuper Apollo tibi:
Nam docet ille, quibus deceat te dotibus esse
Auctum, percupidus si sacra tanta petis.
Multa senis Coi cernes arcana recludi
Divina, eloquio cum Cicerone pari:
Claraq; conspicies magni decreta Galeni
Non pauca, ambiguis expolita nodis.
Plurima de proprio venientia Marte videbis,
Quod non scriptorum catera turba facit.
Hoc duce non potis es falli, non labier unquam:
Huic uni ex animo devove corda Deo.

FINIS.



ORATIO

ORATIO DE RATIONE DISCENDI, AC PRÆCIPUE MEDICINAM.

SCRIPTA

Per Johannem Placotomum Doctorem Medicinæ.

SIMPLEX SPES



PRUDENTIA FIRMA.

ARGENTORATI,
Excudebat, Conradus Scher.
M. DC VII.

Πᾶν διακοσμεῖται τάξει τὸ πελόμενον ὀρθῶς
    Μήδ' ἂν ἔῃ κείνης μηδὲν ἄνευ τε καλόν.
Αἱ δὲ μαθητεῖαι τάξιν φιλέουσι μάλιστα
    Ὥσπερ ὅδ' ἐλλογίμου χειρὸς ἔδειξε πόνος
Τέχνης μὲν προθεὶς ἰδίης ἐσθλὸν παράδειγμα
    Εἰδήσει δὲ λόγον τὸν δ' ἀναλεξάμενος.

Ιαχ.



EPIGRAM-

EPIGRAMMA
HENRICI MOLLERI HESSI
POETÆ CVLMENSIS.

Sicut ad unius metum sæpißime tractus
Diversum vario limite ducit iter.
Hoc legit obliqua longos ambage recessus
Et flexum curvos itq; reditq; sinus,
Ast aliud recto propiores tramite cursus,
Expedit & spatio tendit abitq; brevi.
Hoc vaga perplexo reddunt errore molestum
A via commoditas illud amæna levat.
Hoc jam summa petit, jam per decliva rotatur,
Sapè intercipiunt, saxa lacusq; viam.
Ac illud prono semper curvamine fertur
Margineq; ardentes spirat utroq; rosas.
Sic unam varij calles panduntur ad artem
Dißimili ad metam, qui ratione vehunt.
Hic succincta brevi monstrans cõpendia cursu,
Dirigit ad rectum, sicut amußis iter.
Alter circuitu per multa volumina manans
Sero prolixum fine coercet opus
Ac alium reddit confusio cæca molestum
Qui claudit fallax, ut labyrinthus iter.
Ac aliũ methodus pulcherrima sternit amænũ
Cui facilis dubias exuit ordo vias.
Ergo suos aliqua qui ponit in arte labores,
Nec sperata illos fruge carere velit,
Hanc sibi discendi rationem deligat ille
Quam facili poßit cognitione sequi.

Et qua

Et quæ proposita finem contingere metæ
Se profecturo posse labore putat.
Talis erit succincta quidẽ, breviorq́; sed int'
Quam series lepidis ornet amœna Ionis.
Illius exemplum modicam discentibus artem
Dant hoc Placotomi scripta discertur libro.

DOCTIS-



DOCTISSIMIS ET HUMANISSIMIS JUVENIBUS SIMONI ET SEBASTIANO SCHEIBEN Fratribus, ingeniarum Artium Magistris, Medicinæque candidatis, affinibus ſuis chariſſimis.

S. D.

NOn minor eſt virtus, quã quærere parta tueri, inquit Poëta Ovidius, doctiſsimi juvenes, atq; affines chariſsimi. Ut igitur ſemel inter nos contractam amicitiam tueamur, foveamus, atq; indies amplificêmus, arte quoq; opus eſt. Cum autem longè diſiuncti ſimus, neſcio quonam officiorum genere id commodè fieri poſsit. Neq; enim ſcribendi materia ſemper offertur, nec copia nunciorum datur, neq; literæ ab omnibus fideliter perferuntur. Quid igitur faciã? Nihil occurrit aliud in præſentia quam hoc. Cum in regio monte Pruſsiæ degerem, oratiunculam quandam de ratione diſcendi Medicinam auditoribus meis conſcripſi, quam hactenus nec publicavi, nec cõmunicavi cuiquam, ſed tantum recitari

in Lectorio pro consuetudine istius scholæ tunc temporis, curavi, eam vobis tantisper mittere visum est, dum alia sese occasio offerat. Non quod vobis in discendo meo consilio opus esse existimem (Habetis enim præceptores in arte medica viros Clarißimos, D. Sebastianum Roth, Aurbachium, Paulum Vecerum, Casparẽ Nevium, Guolph. Meurerum, & reliquos, qui sine dubio rectißimum ad Medicinã aditum dudum vobis monstraverunt atq; patefecerunt) sed ut μνημόσυνον aliquod ad vos mitterem, quo absentis amici interdum admoneremini. Scripsi enim eam non vobis, qui aliquotenus progreßi estis, aut aliis provectioribus, sed tantum rudibus, & quibus nulla præceptorum copia fuit, ut iis quasi viam quandam discendi artem tam arduam, per tot Autorũ scripta, in tot docentium, discentiumque diversitatibus monstrarem. An vero consecutus sim quod volui, vestrorum aliorũque Doctorum judicium esto, quibus me libenter & hic & in aliis lucubratiunculis meis subjicio. Quare à vobis doctißimi

juvenes

juvenes, majorem in modum peto, ut hãc orationculam amico animo accipiatis, & cum aliorum medicorũ in hoc genere scriptis, si libet conferatis. Non dubito quin ex ea collatione aliquid commodi ad vos rediturum. Quod si quoque vobis non indigna quæ Tyronibus Medicinæ legatur, videbitur, facilè ut ædatur patiar: sin minus, non molestum erit ut eam supprimatis. Vestrum igitur adhibete judicium, ac in commune consulite, meamque operam juvandi communia studia pro vestra humanitate boni consulite. Bene valete, & me amare pergite, Dantisci, 18. *Augusti.*

Joannes Placodomus.



ORATIO

ORATIO DE RATIONE DISCENDI, AC PRAECI- pue Medicinam Scripta

Per Joannem Placodomum.



Aria ſunt eorũ qui ex hoc loco dicere ſolent conſilia, variæq; orandi intentiones. Alij enim exercendi oſtentandive ingenij cauſa, argumenta etiam viribus ſuis aliquando ſuperiora ſumunt. Alij vulgares materias, magis, ut ipſi in ijs explicandis vires experiantur, quàm quod explicatione alioqui opus habeam. Alij verò his neglectis neceſſaria tantum, vel ad formandos mores, vel ad ſtudia rectè inſtituenda, ſine ornatu verborum tractanda ſuſcipiunt. Quanquam autem priores non improbo (prodeſt enim exercitij cauſa ejuſmodi argumentis adoleſcentum ingenia exerceri) utilius tamen eſſe duco, & publicæ docentis Perſonæ magis accommodatum oſtendere, quomodo adoleſcentes vel ad pietatem & virtutem invitentur, vel rectam diſcendi rationẽ addiſcant. Cum autem de altero argumento ſæpè graviſſimè, nec ſine magna admiratione à meis anteceſſoribus declamatum ſit, &

ſtudioſi

ſtudioſi noſtri ſæpè de pietatis & virtutis pulchritudine admoniti ſint, viſum eſt mihi de ratione diſcendi aliquid proponere. Quã-quam plerique ex veſtro numero, hoc argumentum fœlicius, & cum majore dignitate tractare poſſent: ſpero tamen meam qualecunque operam, quibuſdam non ingratam aut infrugiferam fore.

Dicam autem non de ratione ſtudendi in genere, quantum ſatis eſt, quod à viris doctiſſimis jamdudum abunde factum eſt, ſed tantum quomodo Medicinæ Tyrones rectiſſima via, ad artem longè difficillimam, humanoque generi utiliſſimam perveniant, ita tamen, ut non tam hi, quam reliqui omnes ſcholaſtici hanc oratiunculam ſibi plurimũ emolumenti attuliſſe intelligant. Nam etſi artes ipſæ inter ſe diverſæ ſunt, & quælibet aliquid peculiare habet, in genere tamen omnes, quod ad diſcendi modum pertinet, conveniunt. Nam primum ingenio opus eſſe diſcentibus, ad quaſcunque artes, nemo inficias ibit: deinde inſtitutione & præceptis (nullus enim artifex naſcitur) notius eſt, quam ut longam explicationem ſeu probationem requirat. Cum autem nec natura artifices efficiat, quantumvis illa fœlix ſit, nec ſola præcepta ſine multo uſu ſufficiant, tertium quoque, videlicet uſum neceſſarium eſſe, negari non poteſt. Eadem eſt Galeni quoque philoſophorum medicorum

que ſine controverſia Principis ſententia, qui in quodam loco ita ſcribit: Quapropter mirum non eſt, in tanta eorum qui in philoſophica medicaque exercitatione & ſtudio verſantur, inveniri tam paucos, qui rectè in illis profecerunt. Aut enim natura parum ad eas ſunt appoſiti, aut non ut conveniebat ſunt inſtituti, aut ſtudijs non fideliter ſeduloque inſtiterunt, aut ob Rempubli. denique capeſſendam ab his diſceſſerunt. Hæc ille. Idem Hippocrates parens veræ Medicinæ ſentit, quanquam plura capita facit. Hæc igitur tria ad omnes artes rectè percipiendas neceſſaria ſunt, hæc omnibus diſcentibus communia. Conveniunt præter hæc & in multis alijs. Nam & ratio diſcendi eadem eſt in omnibus artibus, ſiquidem ab elementis incipiendum, à facilioribus & communioribus ordine ad difficiliora atque abſtruſa magis progrediendum, & ad certum finem tanquam ſcopum perpetuo reſpiciendum & omni ſtudio laboreque contendendum. Eſt etiam commune judicium de audiendis lectionibus, de comparandis libris. Sunt præter hæc & communia exercicia, legendi, repetendi, meditandi, ſcribendi, diſputandi & ſimilia. Hæc communia ſunt omnibus ſtudioſis. Quod cum ita ſit, non dubito meam hanc qualemcunq; oratiunculam, non ſolum Medicinæ candidatis profuturam, ſed etiam omnibus ſtu-

diosis aliquid utilitatis allaturam, quam ut patienti animo benigne audiatis à nobis Doctissimi viri, etiam atque etiam contendo, vos vero adolescentes studiosi, ut attente auscultetis admoneo.

Quanquam autem non ignoro, quam difficile, quàm periculosum sit, in tanta opinionum varietate, sententiarum diversitate & judiciorum morositate, aliquid in medium proferre, & libere pronunciare: tamē cum id non ostentandi, non reprehendendi alios gratia, sed bono consilio & juvandi studio præcipuè Medicinæ Tyrones fiat, æquiores judices me habiturum confido. Talem igitur viam vobis indicabo, quā ipse ingressurus essem, si denuo ab initio mihi ars Medica discenda foret, utque facilius quid velim assequamini, singula ordine, & per certa capita subjiciam.

Principio moneo ut optimos tantum ac probatissimos Authores vobis cōparetis, audiatis, legatis, vobisq; familiares reddatis, quales sunt, Hippocrates, Galenus, & qui horum vestigijs insistunt. Quoniam vero horū plurima & varia scripta extant, delectus quidā inter ea agendus est, & constituendū quæ assiduè, quæ crebrò, quæ interdū, deniq; quæ semel legisse satis sit. Verbi gratia. Method⁹ curandi assiduè volvēda est. Libri de facultatibus medicamentorum. Item de morbis & Symptomatis crebro. Nam hæc quoque Galeni sententia est, qui ita in fine

libri de morborum differentijs scribit: Proindè si semel duntaxat ea quæ in hoc opere conscripsimus perlegeris, nihil utilitatis reportabis, nisi exacta diligentia, crebro te in ipsis exercere studueris. Liber de curandi ratione per venæsectionem interdum repetendus. Quæ Galenus contra Erasistratū & Erisistratios contra Julianum & Lycum scripsit, semel degestasse sufficit. Vbi in horum lectione aliquandiu versati fueritis & judicium aliquo modo de arte confirmaveritis tum & alios legere licebit, ita tamen ut memineritis, in horum lectione perpetuò vobis commorandum, ad alios verò nonnūquam tanquam digrediendum expatiandūque. Neque verò probo illos qui statim ab initio, ubi vix degustarunt hoc studium se multis authoribus obruunt & varia lectione turbant. Sunt enim varietas & copia etiam optimorum alimentorum stomacho molesta, ita quoque varietas lectionum ingenium gravat & obtundit. Multo minus illi recte facere judicandi, qui promiscuè omnia sibi coëmunt & sine judicio quævis magno labore, nulloque prorsus fructu evolvunt. Omnium verò stultissimi sunt, qui magnam sibi multorum authorum supellectilem comparant, & omnis generis libros, tanquam publicam Bibliothecam instructuri coacervant, quibus ipsi tamen, vel nunquam, vel rarò admodum utuntur, ac similes.

miles esse videntur quibusdam qui magnis impensis equos magno emptos ad ostentationē, & oblectationē nō ad necessitatē alūt, quos interdū prætereuntes, & in plateis saltātes inspiciāt. Præstat in parva republica civē esse, quam in magna hospitem. Tenendū est igitur illud aureum Senecæ Præceptum, Varia lectio delectat certa prodest.

Cum autem maxima vis sit ordinis in omni reliqua vita, in omnibus actionibus, nō dubium est, quin in discendo, legendisque authorum libris, multum quoque momenti habeat. Constitutis igitur Authoribus, proxima mea est observare quo loco quidq; discendum, quid primo, quid secundo, quid deinceps cognoscendum. Discenda igitur medicina juxta usitatam partium præcipuarum divisionem, videlicet principio quæ ad φυσιολογικὴν pertinent, ut constitutionem hominis (qui est Medicinæ subjectū) probè perdiscatis. Et quia hæc pars communis est Medicis cum physicis, videndum est ubi conveniant, ubi discrepent, quomodo Physici, quomodo Medici, de Elementis, temperamentis, partibus corporis, & actionibus eorundem differant. Cognita natura humana, id quod physiologice tradit, proximum locum sibi ὑγιεινὴ sibi vendicat, quæ docet, quomodo corpus conservetur, & ad præscriptum vitæ terminum, sine molestia perducatur. Quia verò multa in

hac rerum humanarum instabilitate & fortunæ iniquitate nobis indies occurrunt, quæ valetudinis curam impediunt, idoneam victus rationem servare vetant, necessario etjam sanitas interdum labefactatur & corpus in statum vitiosum transfertur, qui dum adhuc exiguus est, nec actiones sensibiliter impedit, corrigi apta diæta potest. Cum verò nimium excedit & manifestè functiones prohibet, aliunde petere auxiliũ oportet. Quare alia Medicinæ pars est, quæ affectiones corporis contra naturam explicat, ac inter se distinguit hanc αἰτιολογικὴν vel παθολογικὴν nominant. Differit enim in genere de causis, de differentijs, & accidentibus morborum, quæ Symptomata Medicis dicuntur. Ad cognoscendas autem & vitæ discernendas affectiones præter naturam, & ad judicandũ, quæ partes præ cæteris & primariò afficiantur, quæ aliundè sive propter alias ægrotent, quid salutem in morbis promittat, quid mortem certã minetur, quid spe ambigua animũ suspendat, signis opus est, quorum doctrinã σημειωτικὴ quarta pars Medicinæ docet. Restat θεραπευτικὴ, ultima & longè utilissima pars, quæ propemodum sola artis appellationem retinet, docens quo pacto corpora affecta morbis, in naturalem statum restituantur, aut si id fieri nequit, quomodo dolores insanabiles, saltem mitigentur & leniantur. Hunc ordinem si quis in discendo ob-

ſervaverit & per has partes tanquam gradus aſcenderit, is ſine dubio ad artis faſtigium perveniet & in præſtantem Medicū evadet.

Quod ſi objicias, non hoc tenore doceri Medicinam in Scholis, ideoq; diſcentem non poſſe ſequi conſilium datū, Reſpondeo in audiendo dictus ordo perpetuo ſervari non poteſt, in diſcendo tamen & poteſt & debet.

In hunc uſum comparati ſunt libri Iſagogici ſive Compendia Medicinæ, in quibus breviter & ſummatim, capita artis, & præcipui loci, quos diſcentem ſemper in cōſpectu habere plurimum expedit, perſtringuntur. Hinc igitur inchoandum, hic primus ad Medicinam ſit aditus, hinc adoleſcētes curriculum diſcendi auſpicentur. Cognitis tanquam extremis lineamentis, audacter ulterius auditione lectioneq; probatiſſimorum Medicorum progrediendum, ita ad ipſa penetralia artis pervenietur. Publicæ lectiones non ſunt faſtidiendæ, & privato ſtudio poſtponendæ. Optima enim doctrina eſt, quæ viva voce hauritur, & habet aliquid latentis energiæ viva vox, ut ille inquit, Nec eſt compendioſior via diſcendi quam audire loquentes artifices.

Nemo enim tantum cum judicio & fructu una hora legere poteſt, quantū alius dicere, & quæ alius multo tempore congeſſit, exiguo ſpatio tibi communicat. Vt autē

attentius auſcultes, avidius diſcas, melius audita ſerves, & uberiores fructus ex lectione reportes, audienda, prius domi perlegenda erunt, ut quid tuo marte intelligas, ubi interpræte opus habeas, animandvertas.

Sequitur nunc alter locus de repetitione, qui priore non minus in diſcendo momenti habet. Quid enim prodeſt bonorum authorum ſcripta audire niſi poſtea domi diligentiſſime relegantur, ut quæ antea ignota erant, magis innoteſcant, quæ leviter accepta, iteratione firmius infigantur, & quæ aliena, nunc familiaria & quaſi domeſtica reddantur. Quemadmodum enim cibus ingeſtus, niſi in ventriculo epateque & venis, probè concoquatur partibus corporis aſſimilari nequit, ſic quoque lectio non benè repetita parum utilitatis adfert. Sit igitur duplex repetitio, docendi cauſa ita appellata, Grammatica & philoſophica. Illius munus ſit veram & genuinam authoris ſententiam, quantum quidem ex verbis colligi poteſt, elicere. Neque enim parū profeciſſe judicandus eſt, qui verba rectè intelligit, & Grammaticam ſententiam aſſecutus eſt. Hujus verò officium eſt, obſervare rationes & probationes, quibus authores ſuam ſententiam confirment, & quæ neceſſaria, quæ probabilia tantum ſint, expendere, & Dialectica Lance penſitare, quæ ſi non additæ fuerint, aliunde petendæ & accerſendæ.

In

In primis verò vehementer conducit, in Galeni præsertim lectione magna mea observare dispositionem & Oeconomiam orationis, quid & ubi proponat, quando & quibus rationibus suam sententiam probet, quando propositioni explicandæ immoretur, quando ad alia digrediatur, quo loco ad propositū redeat, quid ex professo dicatur, quid obiter inferatur, ne & à præsenti negotio abducamur, & τὰ πάρεργα pro re ipsa appræhendamus. Videtur hæc esse puerilis admonitio, & artis dicendi magis, quàm Medicinam discentibus congruere. Fateor, sed plus habet in recessum (ut Quintiliani verbis utar) quàm in fronte promittit. Ipse hisce auribus aliquoties audivi, non leviter omnino doctos, interdum in explicatione Galeni adeo à proposito negotio (seducti crebris & valde prolixis digressioribus) recessisse, ut tādem quo parto in viam regrederentur ægrè invenirent. Non autem satis est verba authoris intelligere, sensumque assecutum esse, & orationis dispositionem animo concepisse, sed denuo percurrere lectionem auditā ab initio oportet, & excerpendi sunt insignes loci, sententiæ, theoremata, problemata, quæstiones, quę primo conscribantur promiscuè in quendam librum, quem Diarium vocare licet. Accidit autem incipientibus præcipuè in lectionibus authorum, ut contrariæ sententiæ nonnunquam occurrant, vel quæ

revera pugnant, aut ſaltem in ſpecie, quas cum propter imperitiam dijudicare, vel conciliare nondum poſſunt peculiariter obſervent, & in certum librum referant, donec uſu & lectione ſcrupulus eximatur. Affert hæc obſervatio non parum emolumenti, & ad judicium acuendum plurimum cōducit. Præter dicta eſt & alius repetendi modus, qui prioribus utilitate nullo modo cedit, videlicet cum alijs condiſcipulis audita repetere & conferre. Hæc repetitio quaſi altera quædā enarratio eſt, multum ingenium exercet. Confert ejuſmodi mutua collatio, ut ſi quid excidit uni, alteri ſubjiciat, atq; in memoriam revocet. Quiſq; a alijs plura obſervaſſe videri ſtudebit, & æmulatio attentionem audiendi exuſcitabit. In fine igitur ſeptimanæ, Diarium revolvatur, & quid congeſtum ſit confuſè præcedentibus diebus conſideretur, & in ordinem redigatur. Hæc eſt univerſalis repetitio, quæ acceſſionē totius ſeptimanæ ob oculos ponit. Hoc loco alio libro opus eſt, qui loci Communes Medicinæ inſcribatur, qui ſit tanquā promptuarium quoddam, in quod cuncta in lectionib⁹ ſine diſcrimine collecta atq; annotata ordine reponantur, ut diſtincta melius ſerventur, unde repoſita, ſi libet aut neceſſitas incidit, parvo negotio recipere & repetere queas. In capitibus Locorum Communium diſponēdis, commodiſſima eſt partium Medicinæ, & ſingula-

ſingularum partium particularum ordinem ſequi. In ſingulis verò locis conſtituendis, Methodū Dialecticam, ſive Quæſtiones Methodi tanquam Ducem ſequi, utiliſſimum pariter ac ingenioſiſſimum eſt. Scribatur primo titulus, huic addantur Synonima Græcæ & Latinæ linguæ, deinde definitiones nominū (ſi derivativa ſunt) pariter & rei ponantur, mox partes vel ſpecies, poſt has cauſæ ſive externæ ſive internæ ſint: Poſt hæc effectus, cognata, diverſa, pugnantia & ſimilia.

Et quoniam libri tantum ſunt quaſi repoſitoria quædam, in quæ ſervandæ reponimus, quæ nec ſemper circumferendi, nec ubique evolvendi occaſio datur, quæ verò nobiſcum geſtamus, multo illis certiora & quodammodo noſtra ſunt, danda eſt opera, ut non tantum alienis bonis, quemadmodū quidem mercatores, alieno ære magnificè negotiant, ſed proprijs abundemus, ut plęraque in memoriam omnis ſcientiæ theſaurū, & fidiſſimū doctrinæ cuſtodem recondam⁹. Itaq; quotidie unus locus, vel ut minimum una ſententia ediſcenda eſt, facilis labor & puerilis propemodum, nec magnum præ ſe fert uſum omniq; oſtentatione caret, ſed ſi quis exactè æſtimet, & omnes ſententias, exacto anni ſpatio in unum conferat, non parvā artis partem ſe didiciſſe experiatur. Neq; verò ſentētiæ ſolū & centones ediſcendi, ſed ēt integra quædam ſcripta memoriæ mandare

neceſſe

necesse est, quemadmodum artem medicã Galeni, Præsagia Hippocratis &c.

Cognatum huic est meditatio, sive cogitatio, multis nominibus utilissimum exercitium. Nam pariter memoria rationeque & omnes ingenij vires exercentur. Sicut enim in ediscendo, verba potissimum & periodorum seriem observamus, ita cogitãdo vel res prius auditas lectasve retractam⁹, vel in novis inveniendis animum intendim⁹, quod exercitium ad prudentiam comparandam mirum in modum conducit, eamque ob causam doctissimis quibusque viris familiarissimum est. Tribuendum igitur aliquid temporis meditationi, ut nõ ex tempore, sed re prius benè meditata, ad negotia accedamus.

Neque styli exercitium negligendũ est, quod ut in reliquis studijs omnibus, ita in hoc quoque est fructuosissimum. Variæ autem sunt materiæ scribendi, quibus omnibus vicissim utendum censeo, ex quibus non postremum locum versio ex Græca lingua in latinam obtinet. Ad quam rem absq; dubio accommodatissimus est Galen⁹, qui dictione plana & perspicua utitur, & Methodum in docendo ubique servat. Quare crebro ejus monumenta vertere expedit, sed præcipuè utiliora, ut res necessariæ sæpius tractatæ, altius ac firmius animo infigãtur, semelque fideliter perceptæ tenatius hæreant

hæreant. Nihilominus & Hippocratis quę dam ſcripta in Latinum ſermonem transferre multum juvat. Idem de Dioſcoride ſentio, cujus verſio utiliſſimarum rerum copiam, plantarum, aliarumque ad Medicinam neceſſariarum materiarum ſuppellectilem locupletiſſ. ſuppeditat. Mirabiliter conducit ad ſtudiorum profectum, non interdũ, ſed ſæpiſſimè tractare thema aliquod, ſive ſimplex, ſive compoſitum methodo Dialectica, per Quæſtiones omnes, ſive Dialecticè tantum, id eſt ſimpliciter, breviter & propriè, ſive Rhetoricè quod eſt diffuſius, additis ornamentis, & tanquam veſtitu elegantiore. Verbis explicari vix poteſt, quantũ hæc exercitatio ad ingenium acuendum, & judicium formandum, ad intelligendi explicandique facilitatem utilitatis adferat. Hoc modo diu multumque exercitati facilè in controverſijs, quid præcipuè petatur, intelligunt, & ex quibus locis contentiones oriantur animadvertunt. Affine huic exercitio eſt, quæ à Galeno fuſiſſimè ſunt tractata, in compendium quoddam redigere, aut in tabulas cogere, cujus rei exempla tum veterum, tum recentiorum Medicorũ plura habemus. Similiter quæ ab alijs ſine certo aliquo ordine ſcribantur, aut hinc inde in lectione bonorum authorum obſervantur in ordinem digerere & ingenioſũ & utile eſt. Verum hæc ad rationem

ſcriben-

ſcribendorum locorum Communium pertinent. Dictis exercitijs non minus utile eſt materiam aliquam, ſive locum communem contrahere in paucas propoſitiones, diſputationis modo, quam licet interdum explicare, & Scholijs quibuſdam illuſtrare, aut argumenta contraria excogitare, ſive contra hanc ipſam, ſive contra alienam.

Diſputandum etiam non raro, tum publicè ſi occaſio datur, tū privatim, ſi illud non conceditur. In diſputando a. fugiendæ λογομαχίαι, non ſecus atque in navigando ſcopuli, quæ vel à ſcopo differentes inter ſeſe abducunt, vel alioquin implicant, adeo ut veritas ipſa obruatur, nec pro dignitate ſatis clarè eruatur, aut tempus irreparabile inutiliter extrahatur. Nam quid quæſo aliud eſt, de vocabulis contendere (ſi Galeno credim⁹) quàm tempus perdere? Cavendum quoq; etiam atq; etiam, ne alienis quæſtionibus aut argumentis, quæ ex parergis naſcuntur, à principali ꝓpoſitione nos abduci patiamur, ne nobis accidat, quod noctu iter facientib⁹, qui dū igniculos vagos in agris diſcurrentes ſequuntur, longiſſime à via removentur. Quamobrem ad πάρεργα tantum παρέργως reſpondendum & propoſitæ rei explicatio diligenter urgenda. Poſtremo nec hæc exercitatio ſilentio prætereunda eſt, videlicet collatio diverſorū authorum in eadē materia. Dictu mirum quantum faciant ad formandum

mandum acuendumq; judicium ejuſmodi ſententiarum inter ſe comparationes. Ita .n. cernit ubi congruant opiniones, ubi varient, ubi alius alio plura aut pauciora, ubi aptiora, aut aliena magis dicat, quo conſilio alius ab alio interdum diſcedat, diſſentiatq;. Atq; hæc de exercitijs quę Medicis cū alijs ſtudioſis cōmunia ſunt in pſentia dixiſſe ſufficiat.

Reſtant nunc alia ſolis Medicis neceſſaria, quæ anni tempora & curationes morborum ſuppeditant, quæ etſi non ad omnes pertinent, tamen ſine moleſtia ab omnibus audiri poſſunt. Quapropter à nobis omnibus auditores optimi, peto, ut quod reliquū eſt, patienter audire non gravemini. Vere & æſtate prodeundum interdum nūc in hortos, in quibus opera humanæ induſtriæ conſpiciātur: nunc in campos, nunc in ſylvas, quæ ſpōte varia plantarum genera producunt, nunc in montes. Non .n. omnis fert omnia tellus, ſed alia alijs locis gaudent, proveniunt & proferunt: Quorū nō ſolū appellationes, ſedēt notitiæ Medico adprimè neceſſariæ ſunt. Itaque crebro plantas inſpiciant, & omniū ætatum Ideas agnoſcere diſcant, quædam etiam decerpant, domum ferāt & reponāt. Hyeme verò quādo nec progrediendi nec inſpiciēdi facultas datur, Medicinæ Tyro tanquā ſedula apicula, æſtivo tempore congeſta & ſervata ſubindè recognoſcat, ut quod natura denegat, induſtria compenſet. Perpetuo autem obſervandū, & firmiſſimè non ſecus atq; ora

culum aliquod tenendum, ut necessaria primum omniũ discantur, deinde reliqua quæque, si otium est, & si libet adjiciantur. Neq; enim artis magnitudo, vitæque brevitas, nos in alienis discendis tempus collocare sinit, sed ad ea potius quæ usũ habent cognoscenda hortatur. Huc non parùm facit crebro ingredi pharmacopolia, videre quæ simplicia, ut vocant hoc tempore, quæ composita apud Medicos in usu sunt, quo tempore anni simplicia colligantur, quomodo præparentur, serventur, reponuntur, Et quo pacto, ex ijs alia atque alia ad salutem hominum conficiantur & componantur. Vbi in his vos satis exercitatos, & aliquo usque progressos esse intellexeritis, tunc peculiarem aliquem virum deligetis, qui usum artis in curationibus morborum demonstret, cujus consuetudine assiduè utamini, cum quo ægrotos accedatis, discatisque quomodo præcepta authorum ad rem ipsam accomodare oporteat. Non enim satis est præcepta novisse, nisi in exemplis vos diu multumque exercueritis. Neque enim consulo, ut ipsi artem tam arduam & periculosam profiteamini, priusquam multorum morborum curationem inspexeritis, & periculum in alijs quid vobis ex usu futurum sit, feceritis, valde siquidem grave est, ex solis libris, mutisque magistris, priusquã judicium exemplis multo tempore confirmatam fuerit, Medicinam.

cinam profiteri. Hoc loco non omittere possum, aliud quoddã exercitij genus, quod sine dubiò utilissimum, & quasi repetitio quædam est, omnium quæ in tota arte necessaria ad curationem traduntur, quod si absolvero, mox finem dicendi faciam.

Est autem de modo discendi, sive explicandi, sive rectè inquirendi morborum curationes, in quo talis ratio servanda videtur. Principio considerentur natura & actiones membri, cujus affectiones inquirere volumus, ut facilius qualia & quanta sint, quæ præter naturam accidant, intelligatur. Deinde quærantur definitiones primum nominis & synonima ejus morbi. Hæc non tam ad auhores (alij enim aliter interdum eadem appellant) intelligendos, quam ad naturam morborum penitius introspiciendam, faciunt. Mox quæratur vera definitio, ad quam inveniendam illustrandamque jam dicta etiam conducunt: & diligens animadversio adhibeatur, qualis sit affectus, morbusve an symptoma. Si symptoma causa ejus investigetur. Nam morbum non symptoma curare oportet. Post definitionem si generale nomen est, distribuatur in suas species, & diligenter observetur, utrum sit morbus per essentiam aut colligantiam. Nam hæc diversitas curandi intentionem variat. Sequitur inquisitio & explicatio causarum, quæ non minus hic

quam

quam ubique locorum in omnibus artibus ponderis habet, cui inprimis magno studio incumbendum. Tum demum enim verè aliquid scimus, cum causas ejus perspectas habuerimus. Nec minus hic quam alibi verissima Poëtæ sententia est: Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas. Quin imo ferè curatio à causarum notitia & sublatione pendet. Videndum igitur utrum ejusmodi malum ab externa, an ab interna causa, sive ab utraque ortum sit. Si ab interna an hæc cum morbo simul consistere possit, vel à morbo separari queat. Cognitis causis consideranda sunt symptomata, & diserte propria vel morbo peculiaria à reliquis distinguantur. Ex his enim ad cognitionem morbi pervenitur. Signa itaque sumuntur à symptomatis, quorum priora διαγνώστικα sunt, quæ nos ad morbi noticiam ducunt, & locum affectum designant. Horum ut symptomatum, alia propria sunt quæ παθογνωμονικὰ dicuntur, alia communia. Postrema προγνώστικα dicta, quid spei de ægri salute sit, subjiciunt. Hæc non minorem prioribus usum habent. Nisi enim Medicus, an evasurus sit æger, an verò periturus, perspectum habuerit, quid aget? Quare προγνώστικα nos docent, quando sit curatio molienda, quando verò non. Deploratos enim curare & stultū est, & Medicum calum-

nijs

nijs exponit, quaſi ipſius culpa perierit, quem ſors ipſa peremit.

Poſt hæc omnia ſequitur curatio, eaque duplex eſt Methodica & Empirica. Methodica ſive Rationalis, eo quod omnia ſecundum rectam rationem in tollendis affectibus præter naturam agit & perſeq̃tur, perficitur vel victu idoneo tantũ, vel medicamẽtis appoſitis, vel ẽt manu, ſi priorib⁹ parũ proficitur, nec malũ tolli per ipſa põt Ad hæc omnia rectè adhibenda, judicio magno, & methodo recta opus eſt, nõ ſolum univerſali ſed ẽt particulari. Deinde obſervandũ, quid ſingulari quadam proprietate morbos faciat, quid eadem ratione morbos tollat, quid à tota ſubſtantia (ut Galenus loqui ſolet) ſimile aut contrarium ſit, id quod Empiricæ proprium eſt. Quoniam vero in curationibus interdũ quædam perperam fiunt, vel à Medico non rectè monente, vel ab ægroto benè monitis nõ obtemperante, vel aliunde: Medicus ẽt hic prudẽns eſſe debet & obſervare atq; prædicere, q̃d periculũ q̃d mortẽ portendat, ut ipſe deindè, ſi q̃d tale acciderit, à crimine vindicet. Huc ẽt pertinet, ſi q̃d non certam pernitiem, ſed tantum periculum indicat, ut quod vel negligentia, vel caſu delictum eſt, arte corrigatur, & ſingulari induſtria in integrũ reſtituatur. Ergo hoc loco de ſymptomatum, quæ vel magnitudine morbi, vel culpa Medici, aut ægroti, aſſiſtentiumque, vel ab aliqua externa cauſa

acciderunt correctione agendum. Postremò ut semel finem orationi imponam, aliquis locus tribuatur quæstionibus, non illis otiosis & Sophisticis, sed quæ vel ad inquisitionem causarum, vel ad curationes morborum necessariò pertinent. Hic authorum diversæ sententiæ conferantur & concilientur, hæc exercitatio, ut liberali ingenio suavissima, ita longè utilissima & maximè necessaria.

Possem si vellem, & si tempus pateretur, vobisque auditores optimi non grave & molestum esset, ea quæ jam obiter & συντομῶς dixi, exemplo declarare, sed quia initio me brevem futurum pollicebar, promissa servabo, nec vos diutius detinebo. Hæc ergo via mihi ad Medicinam discendam videtur, non tam compendiosissima, quam verissima & utilissima, à qua si cui declinare libet, per me quidem licet, aut si quis meliorem discendi rationem novit, ut in commune cõferat magnopere peto. Non pudebit me rectiora docenti cedere, & palmam tribuere. Quod reliquum est vos omnes doctissimi viri & collegæ amantiss. rogo, ut hanc meam oratiunculam, quam non ad ostentationem ingenij comparavi, sed juvandi studio tyrones Medicinæ habui, boni consulatis, & si quid omissum esse, aut non satis dextre tractatum videbitur, id ingenij mei

tenuita-

tenuitati, & quod in declamatorijs argumentis me non multum exercui aſcribatis.

Vos verò adoleſcentes hortor, ut meam ſententiam, de diſcendi ratione Medicinam, attentè auditam, fideliter quoque retineatis, & diligenter cum aliorum ejuſdem argumenti ſcriptis conferatis, ex qua collatione mediocrem voluptatem, fructum verò haud pœnitendum percipietis.

DIXI.



ORDO ET ORDINIS RATIO IN LEGENDIS HIPPOCRATIS ET GALENI LIBRIS,

PER IACOBVM SYLVIVM Medicum.

SIMPLEX SPES



PRUDENTIA FIRMA.

ARGENTORATI,
Excudebat, CONRADUS SCHER.
M. DC VII.

JURIS UTRIUSQUE PRUDENTISSIMO AC INCORruptissimo Senatus Parisiensis primo præsidi Petro Lyseto, Jacobus Sylvius Medicus.

S. P. D.



Ingularis virtus tua, & eruditio incredibilis fecit omnino, ut tibi uni præter cæteros laborem hunc meum de medicæ lectioni, ordine dedicarem, mole quidem exiguũ, sed facultate maximũ. Nam ordinis tanta est pulchritudo, tantaq; vis rebus in omnibus non modò humanis & naturalibus, sed etiam divinis, ut nihil justũ, nihil rectum, nihil à reprehensione liberum habeatur, quod ordinatum non sit: idq; quo est ordinatius, eo perfectius: quantoq; minus habet ordinis, tanto imperfectius æstimetur. Nec alia virtus inesse rebus cũctis videtur, quàm ordinis ratio: quæ adeò late patet, ut in pauca cogi nequeat. Siquidem jam inde à cõcepto semine in corporis partibus formãdis, perficiendis, augẽdis, nutriendis, ad interitum usq; alterationum suc-

cessio, actionumque naturalium ordo exquisitus cernitur, nec ratione alia in plantis omnibus, in cibo item & potu, cæterisque causis salubribus ordo aliquis est necessarius, si animal sanum est futurum. Est etiam in vitæ conditionibus ordo, ac ordinum secretio: hinc privatus ordo, equestris ordo, & nunc quoque regius: in militia item ordo, religiosus & sacer ordo, in Republica bene constituta ordo, in familia bene morata ordo, & ubi non? Hinc factum arbitror, ut absurdissima omnia non modò factu, sed etiam dictu, ordine carere vulgo dicamus, & iisdem pro remedio esse ordinem adhibendum. Quid de memoria tam naturali quàm artificiali dicam? quarum ut illa citra ordinem nulla esse possit, ita hæc à Simonide poëta per convivarum ruina domus oppressorū ordinem inventa, deinde aucta & illustrata multis imaginibus ordine certo collocatis? An non miramur partium anni quatuor ordine fieri quotannis vicissitudines? ac multo magis corporum cœlestium motus tam ordinate jam inde à condito orbe perpetuari, nulla in re mutatos? argu-

mentum summi illius diviniq; ordinis, quem tanquam bonum omnia appetunt, ad eumq; se confirmant, velut ad regulam quandam non Polycleti, sed planè cœlestē. Nec ordine suo nunc diffinitorio, nunc resolutorio, nunc compositorio (sic enim appellare cogimur) disciplinæ carent, sed unum aliquem ex his ubique exprimunt, ac omnium maximè medicina. In qua etjam discenda rerum ordinem compositorium alicubi attigerat Galenus, ac opinor perfecerat libello in id instituto: sed eo media plus parte mutilo, desierat ordo videri, & à medicis inter legendum servari. Quæ res nobis stimulos dedit, ut quod in eo Galeni libello desiderari poterat, sufficeremus, & ordinis præterea nostri rationem redderemus. Cujus laboris, quanta sit futura utilitas medicorum libros lecturis, etiam ante experientiam cunctis perspicuum est. Fuerit autem noster hic commentarius nō modò dux quidam certißimus & tutißimus viæ in legenbis medicorum libris servandæ, sed etiam velut index ac coticula, qua poßit quis medicū

explorare, an sit legitimus, & medici nomine dignus, aut titulo tenus medicus, & qui iniquissimè sibi nomen medici arroget, quorum etiam hodie maxima est turba, quos æquitate tua freti republica propediem extrusum iri confidimus. Fueritque ad istos sycophantas & logiatros deprehendendos hujus indicis major in repub. non dico utilitas, sed necessitas: quàm indicis aurum & argentum explorantis. Vale ordinis hujus senatorij coryphæe.

ORDO



ORDO, ET ORDINIS RAtio inlegendis Hippocratis & Galeni, libris, per Jacobum Sylvium Medicum.



Uum artis omnis constitutio à finis notione ꝓficiscatur, artificem quoque quisquis fingere ac formare aggreditur, finem illi proponat oportet, in quem ceu laborum omnium scopum totus sit intentus: suos omnes conatus, studia, curas deniq; omnes conjiciat, nec prius à laborando quiescat, quàm optato fine fruatur. Hoc tamen interest, quod qui artem constituit aliquam, à fine in causas propinquas resoluto incipit, nec antè à resolvẽdo cessat, quàm ad primas & remotissimas causas pervenerit. Contrà verò qui artificem instituit, fine sibi primum proposito, omnia vestigat media ordine certo, quoad finem sit assequutus. Quomodo qui Romam petit, eam ceu finem & viæ scopũ animo semper gerit, & iter disquirit quã potest certissimum, rectissimum, modis omnibus clementissimũ, quod antè diligẽter emetitur, quàm urbẽ ipsam attingat. Medicũ igitur formaturi, medicinæ ipsi finẽ proponamus, quẽ animo semper cernat, & in quem sua deinceps omnia studia conferat. Is autem

medicinæ finis est sanitas, qua homini (ut idem etiam de cæteris animantibus pronunciem) nihil est optatius, ob id, quòd per hanc actiones suas omnes integras obit. Est autẽ illa sanitas partibus similaribus sua, sua item organicis, sua denique toti corpori ex ambabus his partibus consistenti. Quomodo autem nõ ex quovis ligno Mercurius fingi queat, ut est in Adagijs, sed aliud ipsi exprimendo, buxeum verbi gratia, aptissimum fuerit, ficulnum ineptissimum: sic neq; quivis Medicinæ auditor idoneus fuerit, etiamsi horoscopo, ut vani nugantur Astrologi, aut somnio monente, (id quod Galeno contigit) medicinæ sacris destinetur, nisi etiam raras illas animi simul ac corporis fortunæque dotes vel cumulatissimas sortitus sit.

1 Naturam videlicet solius veritatis tota vita studiosam, perspicacem, ingenio felici, memoriaque fideli præditam, ac prudentem.

Gal. libro de Constit. artis medica, & Hip. libro de præcep.

2 Corpus integrum, ac studiorum laboris patientissimum.

3 Facultates amplissimas, aut saltem mediocres.

4 Optimos quosque sui temporis præceptores, qui jam inde à puero ipsum rationalibus disciplinis, Grammatica, Logica, Musica, Astronomia, maximè verò Arithmetica, & Geometria (ut Plato consuluit) atque adeò Philosophia, diligenter ac methodo certa

Optimus quisq; me-

certa imbuant: quam in rem libri Galeni demonstratorij sunt utilissimi. Cætera medico futuro necessaria, libro de Medici officio & honestate, & libro de Chirurgi munere, cum Galeni commentarijs 3. docet Hippocrates.

dicus idem est & philosophus.

Porrò auditorem his artibus quas percensui probè instructum, paucis præterea ad medicinam apparari oportet, ut ad medicorum libros accedat non modò instructior, sed etiam viæ in illis perlegendis tenendæ certior.

Imprimis igitur hos Galeni libros diligenter perlegat.

Hortationem ad artes discendas.

De vocabulorum rectitudine 1.

De captionibus, quæ in dictione consistunt 1.

Expositionem antiquarum dictionū Hippocratis. 1.

De arte lib. 1. Hippocratis.

De prisca medicina lib. 1. Hippoc.

De præceptis medico servandis librum. 1. Hippoc.

Jusiurandum Hippocratis.

De lege libellum Hippoc.

De natura, mancum librum Hippocratis.

De significatione nominum Græcorum ex scriptoribus Atticis & Comicis congestos, propter philosophos & medicos nova dictionum Græcarum significata scribentes, libros 48.

Quorum adhuc desideratorum loco esse possint Lexica quædam medica, & libri definitionum Galeni, seu de vocabulis medicis, cùm erit illorum potestas. Nam qui definitionũ medicorũ libri titulo Galeni falsò circumferunt, ut Galenica quædã continẽt, ita & nõ pauca Galeni doctrinæ, hoc est, veritati pugnantia docẽt. Potest tamen quisquis est Hippocratis & Galeni lectione multa exercitus, ex ipsorũ scriptis vocũ medicarũ diffinitiones aliquot in unũ colligere: modo id purius præstet ac verius, quàm Otho quidam suo Onomastico.

Legat præterea medicinæ auditor futur⁹, historiam philosophorum Galeno adscriptã: & ejusdem librum, Quòd optimus medicus idem etiam philosophus esse debet: & librũ de Optima doctrina: & de Sectis, scriptũ his qui introducuntur: & de Optima secta, cuj⁹ vix octava pars est in versione veteri: & de Subfiguratione empirica: & de Experientia medica, librũ justæ magnitudinis, in quo Pelopis præceptoris rationes scribunt, asserẽtis medicinã non posse per solã experiẽtiã cõsistere: & Philippi empirici posse affirmantis.

Post hos doceri possunt: liber de Partibus artis medicæ, ad Justũ in veteri versione: de Constitutione artis medicæ: & liber de Arte medica: sic tamen illorũ interpretatione tẽperata, ut tantũ rudis quædã medicinæ (quã totã libri hi duo epitome perstringũt) imago auditori-

auditori velut per transennā proponatur verius, quàm explicetur. Nam quæ medico theoremata in his duobus libris densissima sunt, absoluto jam medico reficiendæ memoriæ gratia, & confirmandæ, ratione optima demonstranda sunt, non tyroni novo frustra inculcanda.

His apparato probè auditori, ordine quodam opus est ex rerū natura sumpto, quē in legendis Hippocratis & Galeni libris (quibus medicina est absolutissima) sequatur, ut non modo breviorem, sed etiam certiorem, atq; manifestiorē viam teneat, in qua ceu grad' quosdam priores libri posterioribus præstruant, & memoriæ fœcunditatem miram pariant. Ordinem hujusmodi leviter perstrinxit Galenus in fine libri de Arte medica, & libro secundo methodi: absolverat verò in libello de Ordine libros suos legendi, qui si integer nobis superesset, hac institutione nostra non magnoperè egeretur, nisi non ordinem solū, sed ordinis etiam rationem doceret, sumpto hinc initio.

Medicina est scientia salubriū, insalubriū, & neutrorū, scilicet corporū, signorū, causarū. Ad quæ tria, corpora inquā, signa, causas; salubria, insalubria, neutra, ceu capita quædam, & genera summa, referunt omnia quātū vis particularia, quæ in tota medicina tradūt: & q hęc tria cognoverit, ac in his se multū diuq; exercuerit, is demū medicus fuerit optimus.

Galen. in arte Medica ex Herophilo.

Medicina verò cùm ibi scientia dicitur, latius scientiæ nomen & communius, non autem propriè accipitur. Est enim revera ars ἐκ ποιητικῶν, hoc est, factivarum, & opus aliquod relinquentium numero: non tamen simpliciter, ut ædificatoria domum, sutoria calceum, textoria pannum, sed veluti ea quę collapsas ædes instaurat, & calceos fractos, & vestes laceras resarcit. In hoc enim genere sanitatis tuendæ studium, & morbi profligandi consistit.

Primum enim sanos tum nos tum alios nosse, deinde ægros cupivimus: postmodum artem constituere, quæ sanitatem servet, aut si abijt, efficiat, desideravimus. Qua ratione ars factiva est medicina, jam factum opus, sed lapsum corpus instaurans. Quum igitur corpus humanum ceu factam jam domum consideremus, quomodo qui exacte cogniturus est, qualis est domus, ex ejus resolutione sola in partes, primum majores, postea minores, postremo minimas, ipsius velut elementa, ut lapides, cœmenta, ligna, intelliget, ac in harum singulis substantiam, magnitudinem, numerum, figuram, applicationē mutuam, & usum observabit. Sic humanum corpus quisquis est perfecte cogniturus, dissolutione ejus per anatomas primum in magnas partes, & instrumentarias, postea in minores, denique in minimas & similares, vera & propria hominis elementa, comprehen-

det.

det: singularumq; substantiam, magnitudinem, numerum, figuram, situm, connectionem, usum, actionē, contemplabitur. Quas res per compositionem Deus & natura prænoverunt, ut ædificator primus, omnes domus partes ad usum aliquem ante statuebat. Homini verò non exacte, sed tantum quadantenus novisse datum est, quam nos viam compositoriam medicum formando servamus: ob idq; universam corporis humani naturam, & omnes corporis ejus dispositiones sanas, ægras, neutras, harum denique dispositionum omnium causas salubres, insalubres, neutras, signis proprijs à medico pernosci oportere confirmamus. Vnde tres primæ & generalissimæ statuuntur, Physiologia, Hygiene, Therapeutice.

Physiologia est tractatio de corporis humani natura, citra cujus absolutam cognitionem, frustra aut sanitatem tueri, aut morbos profligare contendis.

Hygiene est, quæ corpus sanum similibus servat per sumenda, admovenda, educenda, facienda: tempore & dignitate prior Therapeutica, hoc est, curatoria, quæ corpus ægrū sanitati restituit, morbo per contraria profligato.

Alij medicinam in patres primas plures dividunt, tanquam superior divisio omnes medicinæ partes non exhauserit, sed eas tantum quæ corpus sanum & ægrum spectant expresserit:

expresserit: neq; eas omnes, ob id addũt Pathologiam, Ætiologiã, Semeioticen: & alias permultas, de quibus mox agemus.

Pathologia affectus præter naturam, morborum scilicet & symptomatum differentias declarat.

Ætiologia docet causas morborum, symptomatum, sanitatis, & eorum quæ sanitatẽ sequuntur. Sunt enim causæ salubres, insalubres, neutræ.

Semeiotice, signa declarat salubria, insalubria, neutra: & ea vel demonstrativa præsentium affectuũ, vel prognostica futurorũ, vel memorativa præteritorum, quorum multo minor est usus quàm duorum priorum generum.

Sed hæ tres medicinæ partes sub tribus illis generibus primis facile comprehendunt. Nam sanitatem servare, aut morbũ abigere nequeas, nisi per signa utrunq; cognoveris, & causas utriq; salubres adhibeas, insalubres fugias. Verum sus sub Therapeutice, Diæteticen victus ratione: Pharmaceuticen medicamẽtis, præsertim sumptis, sed etiam admotis: Chirurgicen manu, curantem, omnes nostri majores locaverunt: ad quã Cosmetice, id est, ornatrix, & Commetice, hoc est, fucatoria interdũ quoq; reducitur, interdum ad Hygieinẽ, uti Analeptice, id est, renutritroria, & Prophylacice seu Prophylactice, id est, præcautrix ad utramq; reduci possit, diversis

tamen

tamen rationibus. Quapropter harum Galenus meminit in libris Sanitatis tuendæ, & Therapeuticis.

Vtriq; etiam, Hygienæ inquam & Therapeuticæ, merito conveniat Gerocomice, hoc est, senes educandi ratio: cum senectus neq; integra sanitas sit, neq; omnino morb⁹, sed status quidam neuter: ut in morbum paratorum, aut à morbo revalescentium.

Ob id Galenus eam in libris salubribus inter neutras dispositiones descripsit, ut Pedotrophicē, quæ pueros educat, & Evecticen ac Gymnasticen inter sanas.

Alij scrupulosius dividētes, tot propemodum Therapeuticæ differētias adscripserūt, quot sunt corporis partes, & harum morbi, quales sunt:

Ophthalmice, oculorum morbis prospiciens.

Odontice, dentium.

Cynanchice, cynanchis.

Pleutritice, pleuritidibus.

Paracentice. i. punctoria, in hydrope & suffusione.

Tomice, id est, incisoria, in hernia.

Lithotomice, quæ calculum vesicæ, & (ut docet Hippocrates) renum quoq; execat.

Hedrice, quæ affectibus sedis medetur.

Arthritice arthritidibus: & quæ haud ita pridem inventa est miseris mortalibus ægris Hydrotice, sudationes, morbum septentrionalem:

halem (quo non pestilentior alter) curans, scripta Jacobo Castrico Hasebrocano Antuerpiensi Medico. Ne interim omittam, quæ annis circiter quadraginta ante hydroticen inventa est, Alepticen, hoc est, unctoriam, quæ luem initiò Hispanicam, nunc verò toti orbi communem & publicam, ipsa elephantia multò sæviorem, multis alioqui symptomatis illi similem, curare conatur unguentis ex argento vivo, & alijs quibusdam. Cujus hodie quæstus est longè uberrimus, sibique adjunxit magna ex parte Leptodiæteticen cum ligni Guaiaci decocto, & interdum Thymiamaticen, hoc est, suffitu quodam ex argento vivo & sulphure simul ustis curatricem. Cujus partis aleptices, immensa hodie volumina plena invenias, ut etiām parva urbe atque adeò villa aliptes aliquis peritus & reunctor vivere etiam lautè suo lucro possit: cùm à dictis nuper therapeutices particulis ophthalmice, odōtice, & cæteris alijs dicti medici, jam inde à Galeni ætate vivant Romæ tantùm, & Alexandriæ, & Parisijs, & in alijs solum magnis urbibus, parvas verò sæpe mutare cogantur.

Cùm igitur tres tantum sint medicinæ partes primæ, Physiologia, Hygieine, Therapeutice, & in his cæteræ comprehendantur, doceamus jam quibus Hippocratis & Galeni libris, quo ordine lectis, unamquanq; per discam' à Physiologicis ob id auspicati, quod

illi

illi naturam corporis humani jam inde ab elementis ad usque perfectam organi cujusq; & totius fabricam omnibus integris actionibus naturalibus, vitalibus, animalibus præditam perdoceant. Legantur autem ejus libri hoc ordine.

PHYSIOLOGICI LIBRI.

De natura hominis, Hippocratis liber unus, cum Galeni in eum commentarijs quinque, quorum duobus jam factis, tres alios scripsit Galenus, asserentes librum de Natura hominis non esse adulterinum, sed verum Hippocratis, & his suis placitis Hippocratem ubique consentire, contra quorundã calumniam.

Galenus in libris suis.

* De elementis secundum Hippoc. in natura hominis. Galeni commentar. lib. 2. In quorum demonstratione ea tantum attigit Galenus, quibus est usus Hippocrates, cætera docet libro decimotertio Domonstrationũ: libro quinto & sexto de Placitis Asclepiadis: lib. de Facultatib⁹ medicamẽtorũ purgantiũ: in libello hac de re scripto: & in libello ipsi asscripto, quòd qualitates sunt sine corpore.

** Quibus elemẽta docentur mistis omnib⁹ cõmunia, & propria animalis sanguine præditi.*

* An sanguis natura sit in arterijs Galenus in Erasistratum.

De humoribus, 1. Hippocra. cum Galeni 3. comment.

De

De atrabile, Gal. 1. Alter verò ex Galeno, Ru-
fo, Aëtio collectus.
De seminis genitivi natura, Hippoc.
De spermate, lib. 2. Gal.
De ratione procreandi liberos, Gal. quē citat
in comment. in lib. de nat. hu. Hip.
De membrorum compage, seu de nat. huma-
na, Gal. attributus in veteri versione.
De natura fœtus. Hipp.
De formatione fœtus Gal.
An animal sit quod in corpore continetur,
Galen.
De partu septimestri & octimestri, H.
De superfœtatione mulierum, Hipp.
De non perferentibus & infœcundis, Hipp.
De virginum natura, Hipp.
De fœminea natura, Hippocratis.

Quibus elementa animalis propria semen & sanguis, menstruum tamēn in muliere & animalis ex his formatio et partus traduntur.

De calore nativo contra Lycum, reprehē-
dentem Aph. 14 lib 1. Hippocratis.

Introductio, seu medicus Herodotis liber.
non Galeni, ut ex commentario Galeni 31.
particulæ secundæ, lib. sexti Epidemion liqui-
do apparet.

De pueri dentitione lib. 1. Hippoc.
De ossium natura, Hipp.
Osteotome, id est, ossium divisio, à qua cur
incipiendum, ratio est initio Administ. a-
natomic.
* Chondrotome, cartilaginum.
Syndesmotome, ligamentorum.
Arteriotome, arteriarum.
Phlebotome, venarum.

** In quib' & sequētibus anatomicis elemēta hominis*

Neu-

Neurotome, nervorum.

Myotome, musculorum divisio: & simul Tenontotome, id est, tendonum.

Arthrotome, articulorum.

Hæc Myotome compendio tradit omnia de musculis scripta, in libris administrationum anatomicarum, ad quas mox ab Osteotome transiri potest, omissis cartilaginum, ligamentorum, vasorum, nervorum anatomis, utpote inibi descriptis.

Ophthalmotome, quam etiam lib. 10 de Vsu partium docet.

Metrotome, id est, uteri divisio lib. 1. obstetrici cuidam scripta.

* De instrumento olfactus lib. 1.

De carnibus, Hippocrat.

De corde, Hipp.

De articulis Hipp. cum Galeni commentarijs 4.

De glandulis omnium partium, Hipp.

De corporum sectione, Hipp.

De locis in homine Hipp.

De virginum & fœminarum natura Hipp.

De sectionis controversia lib 2 Gal.

*De anatome vivorum.

De anatome mortuorum.

Administrationum anatomicarum lib. 15. pulcherrimi: quorum decimus, & reliqui sequentes desiderantur.

* De anatome Hippocratis, libri 4. Galeni.

De anatome Erasistrati, libri duo Galeni.

propria hoc est, partes similares (quibus organica cōstant) actionū autores declarantur.

**In quibus partiū quarundā organicarū anatōe tradit.*

** Quorum meminit Gale. in libris suis, & in fine artis medica, ne quis suppositios putet: sed quo in Veteri ꝟsione ē de anatome vivorū, Gale. nō ē: Gale. n. ꝑsape citat: tn. legi pōt. cū iudicio.*

** Invenibꝰ*

De *scripto.*

De anatome parva, Galeno asscriptus in veteti versione.

Epitomatum libri quatuor in libros viginti Marini anatomicos, omnium corporis partium quantumvis exiguarum anatomas fusissimè exprimentes, in quorum 16. quæstiones tractantur de cerebro, an motus ejus sit pulsatorius, & an respiratio in cerebrum fiat: & decimus septimus de Principatu cerebri.

Epitomatum libri duo, in libros Lyci anatomicos.

Commentarij de ignoratis in anatome à Lyco Macedonico Quinti discipulo, omniũ in anatomis pertissimo.

De usu partium corporis humani lib. 17. omnium anatomaticorum pulcherrimi, doctissimi, planè divini, & qui ab omnibus intelligantur dignissimi. Ex quibus nescio à quo Arabe, lib. 10. de juvamentis membrorum excerpti, & veteri versione semilatini sunt facti: ut in prologo veteri in lib. de Usu partium patet legenti.

An post tot tamque absolutos Hippocratis & Galeni anatomarum libros, hominis physiologiam ex Platonis Timeo, qui est de hominis natura: aut ex Ciceronis lib. 2. de Natura deorum, discere requiris? Multò minus, opinor, ex Guidonis, Mundini, Alexandri Benedicti libris anatomicis, vel barbariè, vel ignorantia crassissima plenis: omnium minimùm

minimùm ex Carpi picturis, partes hominis propè omnes exprimentibus, quàm infeliciter, norunt, qui veram naturæ historiam, hoc est, humani corporis sectionem manibus suis aliquoties tractarunt, atque oculis suis nõ semel observarunt. Id verò munus etiamsi felicissimè obivisset, mulierculis oculos pictura inani pasturis tantum oblectamento fuisset, & personatis quibusdam medicis ostentationi. Medicum autem rationalem remorantur magis umbræ hujusmodi, quàm promoveant. Nam corpus ipsum medico futuro est sæpe videndum, sæpe manibus tractandum, idque totum non superficietenus: ut partium corporis omnium substantiam, magnitudinem, numerum, figuram, situm, connexionem, tanquam ungues & digitos cognoscat, non autem solam partium superficiem pictura expressam. Quapropter intercidit vixdum nata farrago illa Carpi, sumptuosa quidem, sed nullam in rem utilis. Quòd si plantas non dico pingi, sed ne describi quidem volvit Galenus, verum per manus tradi & doceri, an futilem vanamque partiũ corporis nostri picturam tolerasset? an his formatum recepisset medicum? nisi fortè pictos homines curaturum? Neque credas ad has Galeni anatomicas descriptiones ubique exactissimas & verissimas, quicquam posse etiam maxima doctissimorum industria accedere. Quod tu probè judicabis, si libros

ejus

ejus Græcos cum libro naturæ & humano corpore contuleris: non autem Latinos, locis permultis corruptissimos. Sed ad pensum redeamus. Post anatomicos, legendi sunt tibi.

* De temperamentis libri duo: nam tertius de temperamento simplicium medicamentorum, ante hæc legendus.

De inæquali intemperie.

Animi mores corporis temperaturam sequi, Galen.

De optima corporis institutione.

De evexia.i.bono corporis habitu.

Parvi tres hi libri amicis quibusdam scripti, pro illorum captu & usu.

De facultatibus nostrum corpus dispensantibus. 1.

De substantia facultatum naturalium. 1.

* De facultatibus naturalibus tres.

De urinarum secretione lib. 1. contra eos scriptus, qui sanguinem à renibus mutatū, urinas creare putant, Gal. in lib. de Atra bile.

De facultatibus animalibus. 1.

*De mente mancus est liber Hippoc.

De placitis Hippocratis & Platonis, lib. 8. sed primus desideratur.

Animi mores, corporis temperaturam sequi, & contrà, lib. 1.

De motibus manifestis & obscuris.

De motibus musculorum. 2.

De motu [illegible] iliorū ... ali tradito à quodam.

**In quibus facultatū (a quibus actiones prodeunt) principia, & essentia docentur, et sequētib.*

**In quibus actionē hominis primaria conservans actio, scilicet nutritio, et quæ illi serviūt actiones alia naturales traduntur.*

**In quibus ut libris Aristotelis de anima, de sensu et sensato, docet sensus & motus voluntarius, per quas actiones pri-*

De voce libri quatuor à Galeno citati in ſuis libris.
De cauſis reſpirationis.
*De uſu reſpirationis.
De motu thoracis & pulmonis 3. adoleſcẽti cõdiſcipulo ſcripti, ex Pelopis præceptoris dogmate: paucis à Gal. inventis, quæ ad finẽ libri ejus 3. ſcribuntur.
Eiſagoge pulſuum 1.
De uſu pulſuum 1.
De differentijs pulſuum 4.
* De dignotione pulſuum 4.
De cauſis pulſuum 4.
De præſagijs ex pulſibus 4.
Compendiũ & epitome pulſuũ 1. in dictos nunc libros ſexdecim, Galeno citata in Therapeut. libris, in exemplarib. græcis deſiderata, videtur eſſe cõpendiũ pulſ. in veteri verſi.
De pulſib. contra Archig. 8.

Hactenus ipſum hominem vivum & ſanũ abſolvimus: nam ex ſubſtantia, materia, & forma, & accidentibus ipſi ſubſtantiæ qualitatibus (quæ principia ſunt ſimplicia, ac omnium rerum elementa ultima & remotiſſima) naturæ elementa quatuor, ignem, aërẽ, aquã, terrã coalviſſe docuimus: ex his vero p alimenta humores in nobis quatuor, ſanguinem, pituitam, bilem flavam, & atram: atque ex his ſperma maſculinum & fœmininũ, & ſanguinem menſtruũ: ex quibus partes corporis

maria hominis actio id eſt, ratiocinatio, cũ Ariſtoteli, vel ſermocinatio, ut Ga. lib. 16. de Vſu partiũ, et Agricolæ placet, melius perficitur.

** Hi oẽs licet motum volũtariũ ẽt doceant, tn. eode ſpectant quo ſequentes.*

** In his & paulò ſuperiorib⁹, ut Ariſtot. in lib de logitudine et brevitate vita, docet actio ſcil vita, ſine qua primaria hominis actio*

corporis nostri similares, tam spermaticæ quàm sanguineæ, singulorum organorum materiæ, propriaque & propinquissima nobis elementa conformatæ sunt. In quarum triplicis substantiæ, spirituosæ, carnosæ, solidæ, justa quantiate, proba qualitate, est facultatum naturalis, vitalis, animalis, nostrum corpus gubernantium, hoc est, vitæ ipsius essentia & robur.

nuper dicta consistere nequeat.

Superest igitur ea nunc asscribere, quibus ipsa sanitas nostra tam fluxa, tam lubrica, tā facilis, mutari à quavis causa insalubri potest, vel integra, vel integræ proxima diu servari. Nā omnino servare integra nequit, quod corruptelæ & interitus nobis est cognata necessitas, ut demonstratur initio Sanitatis tuendæ. Servabitur autem idonea quantitate, qualitate, tempore sumendorum, educendorum, admovendorum, faciendorum: quæ docentur libris,

* De alimento, Hippoc. cum Gal. comment. 4.
De alimentis 3. Galeni.
De aquis, aëre, regionibus, Hippocratis, cū Galeni commentario.
De vino, Galen.
Sumenda * De aqua, Gal.
De ptisana, qui Galeno asscribitur.
De euchyma & cacochymia 1.
De attenuante & crassante victu 1.
De flatibus 1. Hippocratis.
* De usu humidorum, Hipp.

De corporis fluore perpetuo 1.
* De re venerea, Hipp. *Educẽda.
De urinarum differentijs & signis Hippoc. & alius Galeno asscriptus.
* De lavationibus, Hipp. (Gal. * Admovenda.
De exercitatione per parvam sphæram.
* De re venerea Hipp. etiam ad facienda reducit Galenus in libris salubribus. * Faciẽda
De salubribus rebus, Hipp.
De ratione victus salubris, Hippoc. cum Gal. comm.
* De ratione victus privatorum, Hippoc. cũ Gal. comm. * Omnia illa 4. simul.
Empiricæ diætæ subfiguratio, Gal.
An medicinæ, vel gymnasticæ sit ars sanitatis tuendæ, ad Thrasybulum lib. 1.
De sanitate tuenda 6. Gal.
De consuetudine 1. Gal.

At quoniam in his salubribus causis quantitatem, qualitatem, tempus, ad unguem servare est difficile, ut aliquando à mediocritate cuique homini sua non recedamus: hic autem recessus etiam si parvus est, frequens vero est, paulatim corpus immutando, affectibus præter naturã parat: & quæ prius causæ fuerant salubres, sumenda scilicet, educenda, admovenda, facienda, hæ ob mutatam insigniter quantitatem, qualitatem, tẽpus, insalubres & morbosæ evadunt. A quibus eandem aliqua saltem una actione insigniter ut sensu percipi possit, læsa, vel pluribus si- Pathologia Aetiologia

mul læsis fit morbus, affectus homini præter naturam, ob id abigendus, ac etiam quia actionem lædit, propter quam partium & totius sanitatem requirimus.

Ob id sanitas jam perdita est recuperanda, & morbo tandem profligato per salubres causas effectrices instauranda. Morbi autem naturam docent libri sequẽtes: sed quũ morbus sit triplex, primus partium similariũ (quæ primæ sunt, & propinqua nobis elementa) intemperies calida, frigida, humida, sicca, calida humida, calida sicca, frigida humida, frigida sicca: & hæc vel sola, vel cum aliqua materia, ut sanguine, pituita, bile alterutra, seroso aquosoque humore, flatu, & vapore. Secundus, partium organicarum ex similarium justa magnitudine, numero, figura, situ, connexione idonea conflatarũ incommoderatio, in magnitudine, numero, figura, situ, connexione tam similariũ quàm ipsorum organorum. Postremus ambarum communis, & qui alterutri per se, vel simul utrique potest accidere, solutio continui, ab incisione, fractione, tensione, erosione: secundum horum morborum ordinem libri possunt legi.

Post hos illi qui omne morborum genus complectuntur: quos si etiam primos legas, nihil peccaveris.

De inæquali intemperie lib. 1. Gal.

De differentijs febrium, 2.

De

De marasmo, id est tabe 1. libellus parvus amico datus.
De atra bile, seu melancholia, Gal.
* De atra bile alius, ex Galen. Rufo, Aetio, Sicamio. *Similares morbi.
De insania, Hipp.
De comate, Gal.
De tremore, spasmo, palpitatione.
De vitijs & passionibus animæ.
De morbo sacro, seu comitiali Hip. (fit.
De epilepsia eodē morbo, Gal. obstructione.
De marasmo omni, Gal. corpus in hoc minutum est.
* De tumoribus præter naturam, Gale. corpus, aut pars, in hoc immodicè augetur: quia tamen in eo est simul intemperies, & humoris ipsum facientis natura, & primũ aposcema, tandem etiam apostema, in cõmunes omni morbo libros rejici potest. *Organici.
* De vulneribus capitis, Hippocratis. *Cõmunes.
De vulneribus letalib. Hipp.
De fracturis, seu fractis & luxatis ossibus, & eorum repositione, Hip. cum Gal. commentarijs tribus.
De ulceribus & fistulis, Hipp.
De hæmorrhoidibus, Hipp.
De fœminarum morbis lib. 2. Hipp.
De virginum morbis lib. 1. Hipp.
De gynæcœis, id est mulieribus & uteri morbis, & remedijs, versus à Nicolao Regio Calabro, aliorum multorum Galeni ope-

rum interprete antiquo, rudi quidem, sed fideli, cujus exemplaria certe castigatissima & integerrima vellem Venetis & Germanis fuisse in manibus, non tot hiatibus, tot erratis portentosis scateret Galenus his impress⁹. Hæc miror Venetos in Calabria non conquisisse, in qua fuit medicus ab hinc annis circiter centum, anno salutis 1463. Eusebius, 1363 pontifice Vrbano quinto, ut Guido Cauliacus d.eco scribit in initio.

De dignotione & curatione singulorum animi affectuum: Galeni.

De differentijs & causis morborum & symptomatum libri sex.

De plenitudine 1.

De causis continentibus & propinquis morborum, Galen.

De causis procatarcticis seu externis, Gal.

De morbis libri 4. Hippocratis.

De morbis internis & externis, Hipp.

Epidemiorum prim⁹ & tertius, verè, Hippocratis, cum Galeni commentarijs 6, in utrumque tribus.

Epidemiorum secundus cum sex Galeni commentarijs: quartus, sextus, à Thessalo Hippocratis altero filio, ex relictis à patre per tabellas commentarijs consarcinatus, quorũ sextus in peregrinatione observatos passim morbos non epidemios continet, cũ sex commentarijs Galeni.

Cõmentarij 8. in sextum Ga. in libris suis de comment.

Epide-

Epidemiorum quintus Hippocratis junioris, qui filius fuit Draconis, alterius filij Heraclidæ & magni Hippocratis, quem quintũ nonnulli etiam Thessalo tribuũt, ut & septimum, qui apertè Galeni sententia spurius est, ac incerti authoris.

De typo, Galen.

Ad eos qui de typo scripserunt. Gal.

De quatuor temporibus morborum universalibus, Principio, incremento, statu seu vigore, & declinatione, seu tota morbi duratione.

De quatuor temporibus morborum particularibus, seu de accessionum principio, incremento, statu & declinatione.

De crisibus libri tres.

De diebus decretorijs lib. 3. Gal. Est etiã Hippoc. unus.

De morborum decretorio, Hipp.

De morborum septimanis diebus, Hipp.

De locis affectis, quos Galenus statim subjungit lib. de diff. & causis morb. & symptomatum in lib. suis.

De noscendis oculorum morbis, Opthalmico cuidam scriptus.

De dyspnœa libri 3.

Ars medica, Galen.

De lotij differentijs & signis, Hippocratis: & alius Galeno asscriptus.

Postquam libris proximè superiorib' morborum omnium essentiam, species, causas,

ſymptomata, tempora, formas, morem, ſigna, & in quibus corporis partibus hi ſunt, didiceris, jam horum ex corpore diſpoſitionem per contraria ipſis remedia addere oportet, quærendaq; auxiliorũ ad hanc rem idoneorum materia, in ſumendis, educendis, admovendis, faciendis, quæ declarant abundè libri hujuſmodi.

De alimentorum facultatibus: nam hi ut de euchymia & cacochymia, attenuante victu, ptiſana, & cæteri ad Hygienen pertinentes, cum Galeno ad Therapeuticen ſunt utiles: quoniam in hac vires ſervare ſimilibus oportet, aut ſaltem fovere, & conſuetudini, id eſt, conſuetæ per ſanitatem victus rationi, in ſumendis, educendis, admovendis, faciendis, aliquid condonandum eſt, Hipp. Aph. 17. lib. 1. Proprij autem Therapeutices hi libri fuerint.

De temperamentis liber tertius: hic enim eſt de temperamentis non hominum, ſed ſimplicium medicamentorum.

De facultate ſimplicium medicamentorum lib. 2.

De ſimplicibus ad Paternianum in verſione veteri.

De ſimplici medicamento unus, Gal. attributus.

De paratu facilibus medicamentis unus Galeni, ſine principio, quem citat lib. Methodi: & alter ad Solonem Archiatrum libris

duobus

duobus Græcis divisus, in unum coactus, sed in principio quàm græcus auctior in veteri versione, tamen lectione dignus.

De facultate centaurij, Gal. attributus, in veteri versione.

De generalibus medicamentorum facultatibus, in veteri interprete: alter ibidem longissimus de Dynamibus, id est facultatibus.

De medicamentis à totius substantiæ similitudine agentibus, à Galeno in simplicibus aliquoties promissus, quæ secreta vulgò vocamus.

De catharticis, id est medicamentis purgantibus humores, & à singulis propè partibus, Galeno in veteri versione asscriptus, maxima sui parte optimus.

De virtute pharmacorum purgantium, diversus à priori in veteri interprete, & græco exemplari æqualis.

De helloboro, Hippocratis.

Antiballomena, Galeno asscripta.

Postea horum utendorum modus, quantitas, qualitas tempus, & quæ cætera aliquid indicant, sunt cognoscenda ex libris sequentibus.

Methodo medendi, seu therapeutica lib. 14.

Arte curativa ad Glauconem lib. 2. illorum 14. epitomis.

De remedijs paratu facilibus, 1. sine principio.

Alius ad Solonem ſcriptus, ut nunc di-ctum eſt.

De curatione morborum per venæ ſe-ctionem, hirudines, revulſionem, cucurbi-tas, ſcarificationem, liber tertius. Nam pri-mus de phlebotome eſt in Eraſiſtratum, ſe-cundus in Eraſiſtratios Romæ manentes, E-raſiſtratum defendentes.

De curandi ratione ſecundum Eraſiſtra-tum.

De tabe & ejus curatione, quem ob id et-jam Therapeuticum facit Galenus.

De atra bile duplex in Pathologia dictus: uterque etiam Therapeuticus.

De agnitione affectuum animi, & reme-dio.

Conſilium puero epileptico datum Gal.

Curatio icteri, Galeno aſſcriptus in veteri verſione, optimus libellus.

Quomodo arguendi, qui fingunt ſe ægro-tare.

De viſu, Hippocratis.

Quos oporteat medicamentis purgare, & quibus, & quando.

De affectuum renũ agnitione & curatio-ne, Galeno aſſcriptus liber, uti & de Vrinis.

De gynæciis libellus in veteri verſione, nõ negligendus.

De potionibus medicis, Hipp.

De telorum extractione, Hipp.

De pueri in utero mortui extractione, Hipp.

Liber

Liber ſecretorum, Galeno male aſſcriptus in veteri verſione.

Liber de medicamentis expertis bonus, ibidem.

De compoſitione medicamentorum generali lib. 7.

De compoſitione medicamentorum cuique parti & morbo idoneorum lib. 10.

De antidotis lib. 2.

De compoſitione theriaces, & ejus commodis ad Cæſarem in veteri verſione.

De theriaca ad Piſonem 1.

De theriaca ad Pamphilianum, qui in veteri verſione male ad Pamphylum ſcribitur, & pauca in principio & fine omiſit.

De ratione victus in morbis acutis lib. 4. Hipp. cum Galeni commentarijs tribus, in partem ejus libri quæ vere eſt Hippocratis, duob⁹ in reliqua Hippocr. eo libro attributa.

Reliqui Galeni in Hippocratis libros quoſdam etiam therapeuticos commentarij, plurima continent therapeutica theoremata, ut commentarij.

Quatuor in librum de articulis.

Tres in librum de fracturis.

Vnus in librum de ulceribus.

Vnus in librum de vulneribus capitis.

De ponderibus & menſuris, Gal. aſſcript⁹.

Medicum verò in curatione, vel etiam ante curationem, coram ægro vel ægri parentibus & amicis præſentire ac prædicere opor-

cet, præsentia, præterita, & futura (de his enim tribus temporibus utrumque dicitur Hippocrati, ut docet Galenus initio Prorrheticorum & Prognosticorum) & quæ æger prætermittit, ut morbi naturam, & ægri conditionem agnoscere credatur, & ob id se audentius medico committat. Vt etiam victus rationem, atque adeò totam curationem felicius instituat: ut salutem quoq; certam possit promittere, vel mortem futuram prænunciare, non ex astris, & astronomicis quibusdam schematibus nugacissimis, sed ex ipsa rei natura, hoc est, morbi essentia, genere, quantitate, more, tempore, & ægri viribus, contra morbum talem ac tantum pugnantibus: robustis, & ob id morbum victuris: vel imbecillibus, & ob id morbo cessuris. Quæ res medicum admirabilem, & propè divinum, & à calumnia de ægri morte liberum reddit. Hanc in rem utiles sunt libri omnes prædicti physiologici, præcipuè omnes de pulsibus, quos inter prognosticos, post eos qui de Criticis diebus & Crisibus recenset Galenus in libris suis, & ordine: & de Dyspnœa, & alijs actionibus. Ad Hygienen pertinentes, pathologici, ætiologici, semeiotici: præcipuè Locorum affectorum: Epidemij: Therapeutici item omnes. Præter hos verò in id præstantissimi sunt.

De Coacis prænotionibus, lib. 1. Hipp.

Prognosticorum Hippoc. libri 3. cum Gal. commentarijs tribus.

Pror-

Prorrhetica, id est prædictiones Hipp. cum Galeni commentarijs tribus. Hæc prorrhetica, ut prognostica, in tres diviſerunt libros, fortaſſe ob tres Galeni commentarios. Calvus prorrhetica tantum in duos libros diviſit. Vtrumque opus, & Aphoriſmos, ex Epidemijs videtur Hippocrates collegiſſe, tanquam ex particularibus experimentis univerſales ſententias, Galen. libro primo de diebus criticis.

De prænotione 1. Gal. pulcherrimus.

Præſagia ex inſomnijs unus Hippoc. & alter Galeni.

De languentium inſomnijs Hippoc.

De decubitu prænotiones ex mathematica, ſcientia, Galeno aſſcriptus.

Aphoriſmorum lib. 7. Hippocratis, licet ſeptimus ſit anceps, cum Galeni commentarijs. In his enim plurima ſunt ad prænotionem prædictionemque maxime idonea: quędam ad Therapeuticas partes, diæteticen, chirurgicen, pharmaceuticen: alia non pauca ad alias medicinæ partes pertinent (ut doctè exploranti manifeſtũ eſt) in quos oẽs velut epitome eſt Ars medica, quam etiam totam conſtituere docet libro de ipſius conſtitutione.

Quod ſi qua in his medicinæ partibus aut obſcuriora ſint, aut forte majoribus non ſatis comperta (neq; n. omnia aut invenērũt, aut noverunt, aut ſcripſerunt) ex poſterio-

ribus ea illustrare, aut locupletare oportet. Græcis, Rufo, Aëtio, Aretæo, Paulo, Oribasio, Alexandro Tralliano, Dioscoride, Actuario: Arabibus, Serapione, Avicenna (ubi tersus erit) Avenzoar, Haliabate, Rase, Mesue; Latinis, Celso, Plinio, Scribonio, Marcello Empirico, Leoniceno, Hermolao, Ruellio, Manardo, Fuchsio, Musa, Acakia, & si quos alios felix hoc seculum ad illustrandã artem medicam excitarit: Arnal. Villanovano, Gordonio, Alexandro Benedicto, Montagnana, Varignana, Savonarola, Valesco de Taranta, Girardo de Solo, Arculano, Tornamira, Gatinaria, & cæteris propè innumerabilibus, quorum nullus tibi est contemnendus, sed in singulis velut mellificium colliges, si ab his feliciter experta observaris. Nullus enim est scriptor tam ineptus, qui non aliqua parte juvet, ut Plinij utar verbis, modò judicium adsit, lectione doctiorum quæsitũ & firmatum.

Veruntamen quum libros Hippocratis & Galeni prædictos omnes, saltem hodie prostantes, profiteri longissimum & molestissimum fuerit, ob id in singulis medicarũ partium generibus aliquot delegimus prælegendos, cæteris cujusque diligentiæ relictis, utpote quos facile sit intellecturus ex nostris prælectionibus. Nobis igitur interpretandi sunt.

De

De natura humana, ſeu hominis elementis, liber unus.

De temperamentis libri duo.

De facultatibus naturalibus libri tres.

Eiſagoge pulſuum lib. 1.

De motu muſculorum lib. 2. Et alijs ad animalem facultatem pertinentibus.

De uſu partium lib. 17.

De alimentis lib. 3.

De ſanitate tuenda lib. 6.

De differentijs & cauſis morborum & ſymptomatum lib. ſex.

De locis affectis lib. 6.

De temperamentis liber tertius.

De ſimplicium medicamentorum facultatibus lib. 11.

Methodi medendi li. 14.

Liber tertius Pauli Æginetæ, cum Practica Gatinariæ, vel alterius.

FINIS.



JOANNIS ALBERTI VVIMPINAEI

MEDICINÆ AC PHILOSOPHIÆ DOCTORIS.

METHODVS DOCENDI *Medicinam.*

SIMPLEX SPES



PRUDENTIA FIRMA.

ARGENTORATI,
Excudebat, CONRADUS SCHER.
M. DC VII.

METHODUS DOCENDI MEDICINAM.

IMprimis errores, qui circa docẽdi rationem committuntur, corrigendi sunt, qui ad tria referri possunt genera, ad confusionem ordinis, Theorematum falsorum propositionem, & causarum rationumq; sinistram assignationem. Confusio sita est in ordine tum docendi, tum autores explicandi. Cum enim medicus cõfuse docet, ita ut postrema primis præponantur, media quandoq; taceantur, paucaq; suo loco dicantur: fieri non potest, ut auditores magnum percipiant ex prælectionibus fructum: cum quia à Doctore ista confusione avertuntur: quod putent, quæ ad ipso proponunt, sine judicio esse convasata: cum judicij sit conjũgenda conjungere, & seperanda separare: tum quia auditorũ mens perturbatur ordine perturbato: quod nesciat, quæ cohæreant & quæ non. Ita quoque si ij authores præleguntur primo, qui sua dicta ex aliorum scriptis probant, ij verò posterius qui fundamenta tradiderunt: præpostere auditores docentur, cum fundamenta primo, deinde ea q̃ superstructa sunt, ut ex ijs derivata, cognoscẽda sint. Ita quoq; nihil perniciosius est, quam cum theoremata falsa ꝓponũt, cũ difficillimè abjiciãt post,

quando,

quando juvenum animi ijs sunt imbuti. Perseverant itaque in erroribus, aliosque ut in eosdem pertrahunt: ut eos, qui agnitis ijs relictisq;, veritatem inquirunt, insectantur: quibus miserè affliguntur bonæ disciplinæ: varijsq; Sectis alijs alio distrahentibus, contaminantur. Ita circa assignationem causarum, quatuor modis quoque peccatur. Vel enim omnino prætermittuntur: & ita nihil scitur, neque quicquã certò percipitur. Vel assignantur quidam causæ, sed pro veris falsæ: & ita notiones de rebus falsæ animis imprimuntur, erroresque generantur. Vel veræ quidem, sed ad rem non pertinentes, quæ quoq; nihil conferunt ad cognitionem rei. Vel veræ cum falsis miscentur, quæ potius perturbant, quam docent. Quæ omnia cum perniciosa sint auditoribus, indoctoribus autem intollerabilia: necesse est ut explodantur: & pro his ea in usum vocentur, quæ conducibilia & honorifica sunt, quæ sunt tria, bona ratio methodusque docendi authoresque explicandi. Theorematum errorum propositio, & causarum proximarum verarumque assignatio. His enim trib⁹ tota docendi discendique ratioq; perficitur: Qui enim rectè docere volunt, necesse est antè omnia suis auditoribus summam totius artis oculis subjiciant, quam uno quasi obtuitu comprehendere valeant. Sic enim ad amandam & perfectius cognoscendam ipsã

artem

artem excitabuntur: quando pulchritudinē ipsius, quæ ex omnium partium connexione emicat, intuebuntur. Hoc autem per methodum divisivam facile præstabunt: cum hæc primo totum, deinde partes essentiales primarias, postea partium partes usque ad minimas proponat, ostendatque quomodo & in quibus illæ concordent aut differant: essentia, numero, magnitudine, facultate, operatione, figura, conformatione, amplitudine, principatu, duratiõe, causis effectuq; & similib⁹. Huic instituto inserviunt tabulæ Medicæ Zuingeri in librū Galeni de constitutione artis, & in ejusdem artem parvam. Itē Iacobi VVeckeri medicæ Syntaxes totam artem medicam brevissime & perspicuè cō-prehendentes: quibus in hoc genere à me hactenus nihil visum est perfectius: Item tabulæ Sylvij de causis morb. & symp. aliæq; aliorum plurimæ. Neque nos terreat, quod artes methodo resolutiva inveniantur, compositiva commodissimè doceātur: cum nullus ad medicam artem accedat, qui non aliquid de ipsa prægustarit: & aliquos saltem medicos libros obiter inspexerit: & divisiva methodus in memoriam res ipsas fidelissimè inprimat: neque ars invenienda sit: neq; perfectè primò docenda, cum hoc non nisi longo tempore fieri possit: & fructuosius sit, summam artis primo intueri, quàm longis sermonibus circumduci: neque ad finem un-

quam

quam pervenire. Quam moleſtum enim ſit fruſtulatim aliquid diſcere: neque ſcire quotuplex id ſit quod diſcas: ij norunt, qui utrumque experti ſunt: & hunc implicatum & alterum expeditum diſcendi modum. Quare ut dixi, initio ſummatim per methodum diviſivam, omnia ad artem medicam ſpectātia proponēda ſunt: ut diſcipulus videat, quæ ſibi deinceps cognoſcenda perfectius ſint: & in quæ opera ſua collocanda.

Quibus fœliciter peractis, quieſcendum non eſt, neque *Doctori* neque diſcipulo: ne ille nihil docuiſſe, hic leviter tantū, & vix medicinam inſpexiſſe dicatur: ſed progrediendum & oſtendendum: quod omnes totius partes per methodum diviſivā ꝓpoſitæ ſint, nulla ſupervacaneæ adjectæ, neq; neceſſaria prætermiſſa: quod illæ conjunctæ, quarū natura eædē aut ſimiles, diſiūctę diverſæ & diſſimiles: cur tot & non plures: cur hanc & non aliam habeant naturam: cur non alio modo diſtributæ: quomodo, quæ & à quibus inventæ, auctæ explicatæ, expolitæ: quem habeant uſum: & utrum plures inveniri queant: etſi queant, quam utilitatē habituræ ſint, & cujuſmodi futuræ. Hæc & ſimilia ſecundo loco à *Doctore* proponenda ſunt: ex quibus diſcipuli cognoſcent artis perfectionem, certitudinem, utilitatem. Hoc autem per methodum reſolutivam fiat neceſſe eſt, cujus ut diximus

mus propria est artes invenire. Et sic habebunt discipuli cognitionem inventionis & distributionis artis totius, ejusque partium omnium. Neque hic quiescendum, sed ulterius tota ars constituenda, methodo compositiva: latiusque omnia proponenda, diligentius distribuenda, perfectius absolvenda. Nihilque prætermittendum, quod aliquid, ad amplitudinem artis conferre posse videatur. Quæ cum hactenus à nemini, aut tentata sint aut perfecta, necesse est medicus ipse qui *D*octoris muneri fungitur ea præstet, ne quid discentibus desit, quod eos scientia arteque medendi augere possit.

Quando itaque hoc modo tota medicina tradita perceptaque est: ad explicationem authorum progrediendum erit ordine: ita ut illi qui fundamentum artis tradiderunt primo: deinde qui fundamentum ut amplificarunt ut illustrarunt: tertiò qui superstruxerunt: quarto qui aliqua ex ijs deduxerunt, explicentur: & quidem ita, ut mens authoris penitus cognoscatur. Oportet itaque consilium hic sequamur Cardani, qui in admirabili illa sua *D*ialectica pulcherrimā perfectamque proficendi rationem demonstrat, dum docet: simplicem alicujus authoris & universalē sensū primo exponēdū esse: deinde singulas dictiōes distinguēdas, tū maximè obscuriores, ad eumq; sensū ꝓpandum.


dum, in quo ab authore possitæ sint nenudum, in quo professores videantur. Post quęgas agere professores videantur. Post quęrendam rationem dicti: qua inventa, dividēdum, componendum, amplificandum, sæpè excipiendum, rarò dubitandum: per causarum quatuor genera examinandum applicāda quæ ad id pertinent, ut quæ ex illo deduci possunt: contraria contrarijs comparanda aut eadem: aliorum opiniones adversarias confutandas: demum ad opus traducendū totum: ac ultimo per viam Epilogi colligenda. Ex quib. satis intelligitur, quo ordine quicque sit proponendum in docendo: neq; aliud mea quidem opinione huc desiderari poterit: cum hæc sufficiant ad autoris mentem explicandam, ejusque opinionem defendendam. Ad disputandi ergo rationem properandum, quæ duas ob causas instituit: primo ꝓpter exercitationē, deinde ꝓpter investigationē cō ꝓbationēq; veritatis. Exercitationē duplicē esse nō ignoratis, unā ꝓpter Logicā, alterā ꝓpter artē, q̃ qs addiscit. Cum a. instrumēta antè cognita esse debeāt earū artiū, quare instrumēta sunt, q̃ qs aliq̃ ex illis cognoscere conct: n̄ valde laudabilis fuerit in medico doctore, & in discipulo medicinæ, illis disputationis exercitatio, q̄ ꝓpter logicā instituit: cū hāc p̄noviſſe oporteat, quod logica medicinæ, atq; adeo toti⁹ philosophiæ instrumētū sit. Illa verò disputationis exercitatio, q̄ ꝓpter medicinæ, ejusq; theorematū cognitionē instituit, in discipulo q̄dē laudanda,

in Doctore verò reprehēsione digna est: cū illi dubitare liceat: velꝙ nōdū plenè theoremata intelligat: ut ꝙ vel certitudine dubitet: vel alti⁹ amico cognita inprimat: huic verò nihil tale, cū ipsū animo omnia artis theoremata perfectè cōprehendisse oporteat. Restat itaqꝫ doctori illa disputatio q̄ ꝓpter inqͥsitionē veritatis institui{r} q̄ grave esse decet: & ab omnib⁹ nugis alienā: ne videa{r}, aut veritatē contēnere: aut cū nugis velle comiscere, ꝙ & pniti osū & turpe fuerit. Professor itaq; illis argumētis tantū uta{r}, q̄ certa ratione demostrari posūt, raro ad verisimilia divertens: Sophistica aut Rhetorica nūq̄ usurpet: studiosus verò quibuslibet uti poterit: cū huic certa illa firmaq; nōdū in ꝓmptu sint: & hac ratione verū à falso dignoscere addiscat: copiāq; variarū ꝓpositionū acqͥrat. Vterq; una eadēq; methodo uta{r} in cognitione terminorū ꝓpositę quæstionis: ita ut primò propositum in duas partes distribua{r}, in subjectū videlicet & attributū: utriusq; antecedētia, cōsequētia, repugnātia, causæ, effect⁹ natura accidentia inquirā{r}: utriusq; cū alteri⁹ causa cū causa, effect⁹ cū effectu, natura cū natura, causa cū effectu, natura cū causa & cætera inter se conferan{r}: ex ijsq; & similib⁹ argumēta deducā{r}: utētes Analyticis Topicisq; Aristotelis: ut alphabetaria cabalistarū revolutione, q̄ infinitā ꝓpemodū copiā variarū ꝓpositionū suppeditat: neq; unq̄ admittit, ut qͥs indisputādo argumētis destitua{r}; aut in ingrēdo à veritate aber-

ret:aut id q̶ ꝓpositū.ē, ex memoria excidat.
In cōsultationib⁹ quoq;, q̄ vel v̶bo ut scripto fiunt, necesse ē medic⁹ observet illa, q̄ in docendo & disputando observare debere diximus : cū omnia optimo ordine sint ꝓponenda: argumētisq; suā opionē confirmare, adversariā refellere deceat: sæpeq; authoritates advocādæ sint, q̄ postea explicādæ, amplificādæ, refellendæ, cōstringendæ, comprobandæ, à quib⁹ excipiendū: exempla quoq; nō ꝑtermittant, quib⁹ res clarior evadat, q̄ qd agēdū aut ꝑtermittendū, q̄dq; futurū sit ostendant. Tria a. cū primis cōsideret, Naturam ægroti, morbū & curationē. Natura n. ægri quādoq; difficulter cognosci꞉ erroresq; multi in ea investigāda se offerūt, quib⁹ discussis, sedulo pitoq; naturæ contēplatori v̶itas sese cōspiciēdā offert. Cōsuetudo ægri vict⁹q; ratio quoq; cognoscēda: hæc n. morbi naturā indicare possunt, ut morb⁹ ipse rationē vict⁹ & consuetudinē. Nam quemadmodū Paracelsus noster docet, legumina caules, radices, frumenta, excrementum habent in se viscosum: Lacticinia, carnes, pisces, bolare: ex quibus tartarus duplex in homine generatur, bolaris & viscosus, materia morborum. Quin ergo nunc cognomerim quibus alimentis quis usus sit, facilè morbum quoque cognoscet: aut qui morbum cognoverit, alimenta non ignorabit. Quod hic dico maximum est, & hunc usq; occultum, à nobis tamen suo tempore

pore revelandum ijs, quos naturæ studiosos esse intellexerimus. Sub his enim præteritorum, absque ulla interrogatione cognitio, & futurorum prædictio, dicetur vera ordinatio, morbiq; occultissimi natura contemplatio latet. Ex cognitione quoq; Medic⁹ cognoscet symptomata morbi, dolorem ejusq; qualitatem, utrum punctorius gravans, elevans, extendens, contrahens, continuus, intermittens, transfigens, fixus, discurrens, calorem locum doloris, originem mutationes. Quæ omnia si fuerint in consultatione à Medico explicata, non tantum ægro proderit, sed etiam omnes artis studiosos, in sui admirationem concitabit: neque quicquam desiderabitur, prætermedicamentorum præscriptionem, quæ ex natura morbi petenda est. Ex quo enim elemento morbus, ex eodem quoque curatio. Quib. omnib. ritè hoc modo peractis, & medicus suam dignitatem retinebit, & discipuli aliquid discent, quo & ipsi post mederi queant.

FINIS.



2759
H.W.

1437. Conurb.
W. 82 -